DISSERTATIONES
MEDICÆ & CHIRURGICÆ
HABITÆ IN
AMPHITHEATRO
Collegii Regalis
MEDICORUM LONDINENSIUM.

A *Gualtero Harris*, M.D. in eodem Collegio Præſide nato, & Chirurgiæ Profeſſore.

Ad urendum & ſecandum Medici rarò, invitique veniunt; nec unquam niſi neceſſariò, ſi nulla reperietur alia Medicina. Cic. de Officiis, lib. 1.

LONDINI:
Impenſis GUIL. & JOH. INNYS, in Areâ Occidentali D. *Pauli*. MDCCXXV.

6

f

PRÆFATIO.

SI *Seni* detur venia, ut uſus recepit, res veteres repetere, præ aliis equidem velim, dum tempus edax feret, ſummam meam, licèt diu præteritam, Fœlicitatem *Inſtitutionis* primitùs bonæ, ferméque indelebilis, Gratâ Recognitione commemorare & collaudare: In Scholâ ſcilicet primariâ bonorum morum ac literarum, aut in *Collegio Wintonienſi*; undè opportunè ſuccedebam in *Novum Collegium* apud *Oxonienſes* celeberrimum; ubi primâ die adventûs, de more antiquo, fui admiſſus *Socius* perpetuus

Magnifici illius *Collegii:* Utpotè ornatus privilegio Conſanguinitatis *Fundatori* Nobiliſſimo amborum illorum *Collegiorum*; nimirùm *Gulielmo de Wickam*, Reverendiſſimo Epiſcopo *Wintonienſi*, deindè etiam *ſummo Regni Theſaurario*, & alternè *ſummo Regni Cancellario*, dum regnabant *Edvardus* 3. *Rich.* 2. vel *Henricus* 4. Et qui Vir Præclariſſimus & Beneficentiſſimus Natus fuit *A. D.* 1324. & hâc vitâ benè ac gloriosè actâ defunctus, fuit Tranſlatus à *Mitrâ* venerabile ad *Coronam Immortalem* gerendam, *A. D.* 1404. annoque *Epiſcopatûs* ſui 37.

Tandem verò cupidus fui peregrè proficiſci, non ut *Medicas Controverſias* argutè diſceptarem, neque ut *Spectabilia* curioſa lætè conſpicerem, ſed ut facultatem *Medendi* perutilem, & perquàm admirabilem, eò meliùs conſequerer, & ſimul rerum hominumque notitia amplior foret, certior, & honeſtior. Ideòque *Lutetiam Pariſiorum*, dives illud *Medicorum doctiſ-*

ſimorum ſeminarium, imprimis me contuli; ubi cum clariſſimo *Lemerio* haud incaſsùm convixi, maximas ibi habens in re *Medicâ* opportunitates; & biennio illic pænè elapſo, Gradum Doctoratûs in Medicinâ apud *Bituriges*, in medio *Galliarum* poſitos, capeſſivi.

Reverſus *Londinum*, aliquantò pòſt, ſub finem ſcilicet anni 1679, examinatus fui, ut Doctor in Medicinâ peregrinus, ab Excellentiſſimo peritiſſimoque Domino, & *Præſide*, Domino *Joanne Micklethwait*, Equite Aurato, & *Cenſoribus* doctiſſimis; proponens me admittendum *Licentiatum*, vel *Permiſſum* celeberrimi Collegii Medicorum *Londinenſium*; quia nemini patet introitus in illam doctam *Societatem*, niſi qui in noſtris *Academiis Gradum* ſuum fuerit adeptus. Sed præſtitutis illis menſtruis Examinationibus finitis, *Præſes* ille grandævus, & apprimè doctus, conſenſu Cenſorum eruditorum, me rogabat vel ſuadebat, ut *eundem Gradum* ego capeſſerem in alter-

utrâ noſtrarum *Academiarum*. Scilicet exoptabant, ut Examinatorum nonnulli in *Societatem* potiùs aſciſcerentur, quàm in ordinem *Permiſſorum*; quatenùs benè ſperabant, ex illis fore, qui aliquando præclarè officium præſtarent in honorem *Collegii*.

Hoc benigno rogatu virorum Excellentium permotus, inter quos cum honore ſummo nominandus eſt vir doctiſſimus Dominus *Croon*, amicum *Sydenhamum*, magnum mihi *Apollinem*, citò conſului, an novæ illius ſive moleſtiæ, ſive expenſæ acceſſio, operæpretium denuò foret. Ille verò ſtatim me magnoperè eſt hortatus, ut *Gubernatoribus Medicinæ* noſtris morem gererem, & *Canditatum* me protinùs redderem. An expectationi priſtinæ, vel hortationi Medicorum clariſſimorum quoquo modo reſpondiſſe contigerit, nequaquam in me recipio; ſed Voluntatem cæteris benevolam nunquam mihi defuiſſe poſſum verecundè promittere. Nempè *Magna* in re *Medicâ* *Magnis* viris, & rariſſimis, ſunt unicè

præſtanda.

præſtanda. Sufficiat aliquantùm, poſt *Harveium*, alioſque egregios in hâc Provinciâ anteceſſores, me pro virili, pro facultate, munere commiſſo fuiſſe perfunctum. Cæterùm *Dona* animi illuſtriora viris Humilibus, & à faſtu omni alienis, ſæpè communicantur. Neque *Dotes* egregiæ, ſive dignis ſive indignis collatæ, ſunt tàm *noſtræ*, vel in *Luti* noſtri poteſtate, ut criſtas decenter erigeremus, quàm de *Cœlis*, pro *Omnipotentis* gratiâ & beneplacito, benignè deſcendunt, *afflatu* quodam *Divino*, omnibus imperceptó & inviſibili, ſed ſtudiis bonorum honeſtis, atque Induſtriæ laudabili, occultè cooperanti.

Poſſum liberè veréque loqui, me multa vidiſſe domi foriſque; nec modò in *Pace* perturbationum impendentium raró immuni, ſed & in *Bellicis* aliquot expeditionibus in *Flandriam*; oculiſque multa perluſtrâſſe, à *Celſitudine Regiâ*, & ſplendore *Nobilitatis*, ad populum inferiorem, vulguſque promiſcuum, & multiplices hominum conſuetudines me obſervâſſe; & lon-

gâ Experientiâ certò didici: *Sapientiam* imprudentiæ, *Probitatem* omni perfidiæ, *Integritatem* antiquam novis fallaciis, docta *Studia* ignaviæ, *Continentiam* turpitudini, & *Temperantiam* luxui, cùm ad Valetudinem corporis jucundam conſervandam, tùm ad moleſtias vitæ & ſolicitudines communes ferendas ac permulcendas, eſſe longè præſtabiliora, magiſque expetenda, ſive nos præſentia & fugacia circumſpiciamus, ſive *futurum* præclarè contemplemur.

Perplacet mihi reſpicere, & maximas ago gratias *Numini Divino*, quòd inter viciſſitudines vitæ paulò diuturnæ, & moleſtias illas omnibus mortalibus communes, animo læto, neque diu perturbato, multùm fuerim munitus; & nonnihil lætificat obſervâſſe, quòd *Invidiam*, frequenter bonis beneque merentibus impertitam, ſors fuerit *Mereri*: Ut de aliis taceam qui iſtâ qualitate corrodente aut ſe lædunt, aut fortè rumpunt; Medicus clarus, doctus, benevolus, virtutibus pluribus

pluribus ornatus, *Sydenhamo* noſtro ſingulariter dilectus, Nobiliſſimæ *Domui Carthuſianæ Medicus*, & qui primus *Bibliothecam* noſtram ampliſſimam, priùs ſeclusſam, Collegis omnibus recluſit, ſuâ Præſidendi Autoritate, meipſo tamen priùs Cohortationibus aliquot Publicis cunctanti ſtimulos adjicienti: Dominus, inquam, *Carolus Goodall*, dum *Præſes* eſſet digniſſimus Collegii Medicorum, aliquando mihi amicè dixit, *ſe Nemini æquè ac Mihi unquam Invidere:* Scilicet quoniam animum Jucundum, & ab omni curâ mordaci vacuum nunquam non haberem. Etenim verè inquit ſapiens filius *Sirach: Timor Domini delectabit Cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.*

Ut quid breviter, liberéque etiam dicam, de parte penè extremâ illius *Novennii*, quo Medicus fui *Regis* Ordinarius; ſed quæ *Dignitas* mihi oblata eſt, ſine ambitu quocunque meo, & ſine Amicorum exoratorum rogatu, ſed ex Favore immerito & ſpontaneo

Maximi

Maximi omnium Viri & *Sapientiſſimi*, ut veriſimillimum videtur, qui unquam hactenùs, à Sancto *Paulo Apoſtolo*, Sacras Conciones habuit, & quaſi ex *Oraculo* dictas: Nimirùm Reverendiſſimi *Archiepiſcopi Cantuarienſis, Joannis Tillotſoni*; cui ipſi, & cujus Familiæ Honorabili priùs fueram perfunctus Medici munere; quouſque etiam Vir ille *Optimus*, totique generi Humano, excipiendis fortè inhumanis, *Benevolentiſſimus*, in Celſiſſimâ illâ Sede Sanctæ *Eccleſiæ* noſtræ, meritiſſimè collocaretur, & ad Invidiam ſummè reſplenderet. Et ex eâdem ingenitâ *Benevolentiâ* factum eſt, ut idem Dominus Celſiſſimus, poſt primam meam expeditionem in *Flandriam*, redeunti proponeret *Equeſtrem Dignitatem*, *Seipſo* me ad *Regem* introducturo; ſed quem Honorem animo grato & ſubmiſsè equidem declinabam.

Probè ſcio quàm decorum ſit, & quàm Honeſtum, de *Superioribus* honorificè ſemper loqui; & ſiquando illi infirmè erraverint, decere nos vere-

cundè

cundè ſe gerere, aut conticeſcere. Attamen fateor, quòd rarâ quâdam Benevolentiâ redundans, duobus vel penè tribus menſibus antè obitum Sereniſſimi *Regis Gulielmi*, libertatem *Aulis Regiis* nimis inuſitatam, ſcilicet quod verum fuit loquendi, & ſimul ingratum, utcunque fuerit ſalutare (quod *Prudentiâ Aulicâ* præditi omnes evitabant) mihi temerè indulgerem, & in *Cubiculo Regio*, coràm *Magnatibus* famulantibus, inter abſentiam Regis, ego viderer paulò liberiùs reprehendere morem iſtum ineptum & perniciosſum, quolibet manè faſciandi *Regios* pedes prætumidos, eâque ratione in viſcera interna repellendi humores illapſos aut illapſuros. Siquid verò tunc delinquere viderer, id maximè fuit, ſimpliciter narrando *Hiſtoriam* veram, recentem, ſummè memorabilem, mihique penitùs exploratam, quâ fuit demonſtratum, quàm periculi ſit plenus, & quàm *fatalis* futurus, mos iſte incongruus *faſciis* repercutiendi humores ſuperfluos & Oedematoſos: Nempè id blandè

blandè ſum locutus, ut ità averteretur, ſi *Deo* placeret, à *Rege*, rebus geſtis Clariſſimo, periculum extremum *Vitæ* tàm *pretioſæ* tunc proximè impendens.

Hos qualeſcunque fructus, è pluribus collectos, & *Sanitati* tuendæ, pariter ac *delectationi* nonnullæ intermiſtæ conducentes, & fructus Studii grati & jucundi, neque prorsùs intermiſſi, uſque ad lenem *Senectutem*, hactenùs liberam, Dei *gratiâ*, à multis *Senum* malis & incommodis, quæ *Intemperantia*, *Luxus*, *Incuria*, & *Inſipientia*, ſecum vulgò perducunt, jam libet in medium proferre; & ut ſpero Lector intelligens æquo illos animo, & guſtu non ingrato indulgenter accipiet.

Et ut nihil dicam de hortatione benevolâ quorundam Amicorum, inſigniter Doctorum, quorum judicio plurimum tribuo, has *Prælectiones* ego nunc prelo ſubjicio, nequaquam eo animo, ut nomen ineptè & apud imperitos inclareſcat, neque ut negotia

aut

aut facultates exindè paulò amplificem; abundè ſcilicet gratiſſiméque contentus eis paucis neceſſariis, & nonnullis redundantiis, quas die jam adveſperaſcenti honeſtè habere contigit, & quales aut multò plures *Providentia Divinæ* plerúmque ſolet probis, ſtudioſis, & induſtriis benignè largiri, & ſatis ſuperque ſuppeditare. Sed illas imprimi trado, *Spe* bonâ & optatiore confirmatus, ut *Obſervationes Practicæ* per has *Prælectiones* paſſim diſpertitæ, & *Speculationum* commentis plurimùm immunes, lucem aliquam afferant clariorem rebus aliquot *Medicis* & *Chirurgicis* caligine quâdam obſcuratis, aut in devia ducentibus ſalutem ægris reddere percupientes. Inſuper *Spem* concipio nonnullam, eaſdem *Poſteris* noſtris haud inutiles fore. Et denique non pudet verecundè dicere, quicquid iniquum contrà de *Medicis* vulgò fertur & aiunt, me non prorsùs dubitare, quin oblatum aliquod ſincerum ac benevolum, utcunque imperfectum, functionis ſtudiorumque noſtrorum,

utili-

utilitatem publicam ſpectantium (ſi *Beatis* aliquando vacat noſtra *nugatoria* proſpicere & animadvertere, ut merentur *terreſtria* cogitata nuncupari, cùm *Cœleſtibus* Contemplationibus conferantur; & quandoque illos dignari deorsùm ſpectare, eſt cur credatur aut conjiciatur) dico, non prorsùs eſſe in dubio, quin dignum aliquod ex arte munuſculum fuerit *etiamnùm* gratum, & aliquantùm placuerit *Benefactoribus* noſtris Immortalibus, aut *Fundatoribus* Nobiliſſimis hujus *Prælectionis* in *Chirurgiâ*; quæ fuit primùm inſtituta, regnante *Reginâ Eliſabethâ*: Nimirùm ab Illuſtriſſimo Domino *Joanne Comite Lumleio*, & eruditiſſimo Domino, *Richardo Caldwallo*, Medico ejuſdem *Reginæ* Ordinario, rebus *Chirurgicis* addictiſſimo, & tunc temporis præclaro admodum *Socio* & Electore Collegii Excellentiſſimi, quod *Londinenſium* valetudinem pro facultate prudenter conſulit, & ut licet tuetur.

TABULA

TABULA DISSERTATIONUM.

DISSERT. I. *De Febribus Continuis & Intermittentibus, habita* Apr. 26. 1716.
II. *De Variolis & Morbillis curandis.* Oct. 23. 1718. Pag. 32
III. *De Variolis deterioribus præveniendis.* Maii 10. 1723. 51
IV. *De Aquæ aliquot uſibus Medicis.* Mar. 1. 1719. 64
V. *De Vini uſibus Medicis & Chirurgicis.* Mar. 20. 1722. 82
VI. *De Venæſectione in genere.* Oct. 11. 1722. 101
VII. *De Venæſectione, ut morbis noſtris accommodandâ.* Oct. 8. 1723. 114
VIII. *De Varice & Aneuriſmate.* Apr. 28. 1724. 129

IX. *De Oedemate & Scirrho.* Oct. 13. 1719. 145
X. *De Cancro.* Oct. 7. 1720. 163
XI. *De Gangrænâ & Sphacelo.* Oct. 9. 1721. 180
XII. *De Herniis.* Jun. 15. 1720. 195
XIII. *De Erroribus Chirurgorum.* Maii 29. 1722. 210
XIV. *De Simplicibus & Compoſitis Medicamentis. Habita* Jun. 8. 1724. 230



DISSERTATIO I.

De Febribus Continuis & Intermittentibus.

Habita *Aprilis* 26. 1716.

POST plures res *Chirurgicas* in quinquennio præterlapſo, eâ quâ potui diligentiâ explicatas, volui aliquandò, coràm Medicis tot Eruditiſſimis, ad rem Medicam paulò tranſire, & quædam vobis dicere, ad *Curationem Febrium* potiſſimùm ſpectantia. Etenim cùm in Senium jam vergere incipio, utpotè omnibus meis Senioribus in celeberrimo hoc Collegio, *Dei* gratiâ, ſuperſtes; utcunq; aliquot præcedentium fuerint ante obitum ſuum longævi, & pænè centenarii, plurimique illorum eruditione excelluerint, peritiâ Artis fuerint præ-

clari, & nonnulli ſcriptis ſuis immortalibus, poſt interitum corporis, diutiſſimè ſint victuri. Quandoquidem verò anni & experientia docere ſolent *Sapientiam*, & præſertim *Medicam*, maximè equidem gauderem, ſi tantillum lucis ſuper his afferre poſſim, vobiſque pauca proponere, non tàm ad *Cognoſcendas*, quàm ad *Curandas*, ſi *Deo* placet, aliquantò feliciùs ipſas *Febres*. Siquidem magna extant Medicorum eruditorum volumina, novaque ſæpè repullulant, abundantiâ quâdam ingenii præſtantia, pleniſſima quidem *Cognitionis*, ſive *Speculationis* omnium *Febrium*, in gratiam Studioſorum, eaque non minùs doctè conſcripta, quàm idonea etiam ad inſtruendos tyrones, non modò in cognitu perquam dignis, ſed & in arte *Loquendi*, abundantiùs dixerim, an ornatiùs de *Febribus*.

Sed *Finis Medicinæ* verus eſt *Sanitas*, non opulentia, non grandiloquentia. Et morbi non dicendo, non argumentis, ſed remediis propriis ſanantur. Ideóque proſpiciens in hunc *Medicinæ Finem*, qui *ſummum* in hâc vitâ eſt *bonum*; omnique auro & argento *bonum pretioſius*, quod reverà ſentio, jam dicam.

O *Artem Medicam* admirabilem, omni laude majorem, eulogiis ſplendidiſſimis antecellentem! O artem beneficentiſſimam, omnium aliarum utiliſſimam & ſaluberrimam! O artem denique omnium ſæculorum ſuf-

fragiis ratam & munitam, *Apolline* inventore, ſeu potiùs *Numine Divino*, ſtudiis ſalutaribus cooperanti, admodùm dignam, omni diſciplinâ, omnique arte quæſtuoſâ longè præſtantiorem! Si nempè auxilium *Medicum* ſatis *tempeſtivè* in morbis expectatur, atque ſi *Medicus* ipſe *naturam* ducem, poſthabitis commentis, rectè ſequatur, & quò *natura* vergit *Medicinam* ritè adminiſtret. Quòd ſi occaſio illa præceps, in acutis præſertim *morbis*, prætërlapſa fuerit, & curatio procraſtinata, quæ *artis* præclariſſimæ *incertitudo*? quot irriti conatus, graves moleſtiæ, nocturnæ pervigilationes? quanti ægrotantium ſumptus? quot amicorum terrores, affinium vota aut ſolicitudines? Uno verbo tunc temporis jacta eſt alea, aut ſalutis fortè fortunâ recuperandæ, aut fortaſſè diem obeundi.

Non eſt propoſitum noſtrum audere impoſſibilia, aut *infallibiles* ullos curandi modos vobis temerè præſcribere. Quæ fieri nunquam poſſunt, pulchrè promittant fumivenduli, agyrtæ, aliique impoſtores, quibus periit veritas, periit omnis pudor. Contenti ſanè ſimus modeſtis illis poteſtatibus aut facultatibus, quas *Numen Divinum* benignè donavit. Nunquam ambiamus ea quæ non permittit agenda, humanæ induſtriæ dixerim, an imbecillitati.

Omnibus ævis, omnibuſque regionibus, ubicunque bonæ literæ inclaruerunt, nonnulli

verè magni viri, aut perſpicaciores, benevolentiâ laudabili ducti, reipublicæ aliquatenùs prodeſſe, ſalutaribuſque remediis morbos propulſare diligentiſſimè ſtuduerunt: Omnibuſque illis ſalutis publicæ ſtudioſis æqua laus, debitaque gratia ſemper tribuenda eſt. Illuſtres noſtros *Majores*, aut doctrinâ priùs florentes, nunquam nos contemnamus, nunquam inſulſè vilipendamus, nè poſteris noſtris doctioribus, qui clarioribus ſcientiæ teleſcopiis fortè inſtruentur, anſam commodam præbeamus, errores noſtros & ignorantiam, pleniùs quàm par ſit patefaciendi & amplificandi.

Cùm *Hippocrates* in *Aphoriſmis* ſuis ſapientiſſimis, verâque naturæ obſervatione ſtabilitis, diſſerit de gravioribus *febrium* ſymptomatis ad mortem vel ad ſalutem ægrotantium ſpectantibus, docet multa eſſe *mala*, multa *lethalia*, quædam *judicatu difficilia*, & nonnulla ſigna *bona*; ut videre eſt in ſectione *Aphoriſmorum* quartâ, ſeptimâ & octavâ; nunquam verò inconſideratè pronunciat hoc certum & indubitatum ſalutis ſignum, illud ſpem noſtram nunquam eludere. Itaque qualis imprudentiæ, aut temeritatis habere oportet medicum, quantumlibet popularem, quantumlibet politicum, vel opulentum, qui ad febricitantem ſibi dilectiorem accerſitus, audacter ſubitòque dicet; *hic vel hæc non morietur, dico, non morietur.* Quaſi fuerit in imperio deſpotico, aut poteſtate hominis impotentis aut temerarii quemlibet mortalium, ad libitum, à faucibus

cibus orci certiſſimè eripere, aut ab *acutâ* aliquâ *febre* confirmatâ, proculdubiò liberare, velit nolit ſummus omnium *ſupremuſque Rector.*

Siqua unquam fuerit certitudo in curatione *Febrium Continentium*, ea potiſſimùm verſatur in *principio* illarum, cùm vires ægrotantis conſtant, & cùm evacuationibus propriis eradicatio morbi ſalutaris ſæpiſſimè ſolet contingere. Quantum verò emolumenti tunc fieri febricitantibus, qualeſque ſucceſſus comparari poſſunt, in principio *febrium acutarum*, ſignificatum vel monſtratum fuit in exercitatione priore, ubi de *peſte* ipsâ, ejuſque curatione annitendâ, à me priùs agebatur.

Plurimùm verò refert ad *Curationem*, an illi qui horrore aut rigore, vel qui *Febre* corripiuntur, eſſent priùs temperamenti ſani & firmi, an valetudinarii fuerint, diuque imbecilles. Nam firma corporis valetudo, vires magnæ, juventus, tempeſtaſque anni temperata, maximè conducunt ad ſanitatem reſtituendam. E contrà habitus corporis vitioſus, diuturnus languor, præcordia inſana, vireſque priùs enervatæ, ſpem ſalutis recuperandæ viro ſagaci facilè diminuunt, aut prorſùs adimunt.

Atque illa conſideratio prudentes omnes medicos diſcipuloſque magni *Hippocratis*, ſemper reddidit *permodeſtos*, eóque verecundiores cautioreſque in judicando, quò

fuerint ipſi doctiores & peritiores; niſi fortè imprudentia aliqua nonnunquam doctos medicos aut celebratiores immutet in temerarios, nimiſque audaces in prædicendo. Permulti enim ægrotantium, qui irregulariter in victu & potu priùs vixerunt, vix æquè ferent nimis ſtrictam inquiſitionem in errores præteritos. Neque ea culparum in vivendo detectio ſæpè à *febricitantibus* ſatis commode, & ſine arbitris fieri poteſt, ubi amici, miniſtri, aut vicini ſunt aſtantes, & ad auſcultandum *prognoſticum* prompti, plures ob rationes, à medico prolatum.

Propter eandem etiam conſiderationem de temperamentis ægrotantium, non ita mirum fortè fuit, ut aliter foret, quòd tot támque conſtantes ſucceſſus medicinales *Regio Medico* olim contigerint, durantibus illis quinque ejus expeditionibus æſtivis in *Flandriam*, cùm totum famulitium *Regium*, quantumcunque numeroſum, ab *omnibus* ſuis *febribus* liberaretur, multique in exercitu duces ſimiliter evaderent; nimirùm id contigiſſe potuit, cùm quia *Febribus* correpti inſigni corporis robore vulgò fuerunt prædití, & juventute vigente communiti, tùm quia frequens aeris mutatio ex diverſis caſtris, & præſertim in *Brabantiâ*, (ubi aer & aqua ſunt maxime ſalutares, ſummâque puritate excellentes) multùm conducere potuit ad *febres* expugnandas, vireſque corporis læſas corroborandas; tùm denique quoniam univerſi illi opem medicam

medicam ſatis *tempeſtivè* implorare non ſunt dedignati; pænéque omnes ſine ſumptu eam facilè ſunt adepti: ut id ſine dolore etiamnùm teſtari poſſum.

Breviter dicam, fiduciâque plenus, methodum aliquandò certam & indubitatam curandi *Febres Continentes*, quæ nunquam fallet, inventum iri & ſtabilitum, in longè futuris temporibus, non tàm *aureis* & luxurioſis, quàm frugi & honeſtis, cùm *virtus* in oculis vulgi *divitiis* clariùs effulgebit, cùm *temperantia* univerſim prædominabitur, & cùm charus ille *Lapis Philoſophorum* inſipientium, nempè *Panacæa* morborum omnium, ita trivialis invalebit, ut tanquam res nullius pretii, pedibus in viâ conculcatus fuerit, quemadmodum perhibuerunt adepti, vel humiliter jactârunt, eum paſſim conculcari, ſed modo inviſibili, in *Sterquiliniis*.

Interim dum homines erunt homines, quoad crapula & ingluvies morbos Proteiformes progenerabunt, & *aquæ* contemperantis ſalubris uſus perpotationibus *Vini* liquorumque ſpirituoſorum vulgò cedet; dumque *febres*, ut ſolent, *luxum* aeriſque viciſſitudines ferè inſequentur; pauca vos monebo de *Curatione Febrium* graviorum.

Imprimis, ſi horrori vel rigori citò ſuccedit, ut plerumque fieri ſolet, *Vomitus* aut *Vomituritio*, ventriculo repentè perturbato ab

 humoribus

humoribus intrò repercuſſis, propter retentam tranſpirationem, cum cephalalgiâ, doloribus membrorum, ſiti, pulſu celeri, ſomnolentiâ gravi, vertigine, aut ſimilibus ſymptomatis; aut ſi *vomitio ſola* poſt horrorem, aut unà cum eo, faciat exordium febrile, præ aliis omnibus, & ſine temporis diſpendio, in *Cardiacis* neſcio quibus, aut aquis ſpirituoſis adverſus *Crapulam* abſorbendis, vehementer rogo, ut *Emeticum* aliquod mite tutumque ægrotanti exhibeatur. Etenim ſi tempeſtivè, aut primâ invaſionis die, id prudenter fieri liceat, extirpatio febris celerrima ſemper, aut longè utplurimùm conſequetur: Idque utilitatis communis cauſâ, paulùm modò confirmare libet, dicendo & *affirmando*, memoriam meam vix unam quidem inſtantiam effectûs contrarii refricare poſſe, in praxi mediocri annorum plùs quadraginta, ubicunque *emetica* tutò poſſint, tàmque citò fuerint exhibita. Quinetiam addi poteſt, me à falſiloquentiâ voluntariâ prorſùs abhorrere. Veruntamen & febre ſic profligatâ, cavenda eſt *recidiva*, in temperamentis teneris, ex præcipiti aliquo errore in victu incongruo, aut à frigore præproperè ſuſcepto, in tempeſtate frigidâ.

Atverò *Emetica* vel *Antimonialia*, duranti æſtatis fervore paulò tutiùs exhibentur, ut in gelidâ hyeme eadem nunquam ſine periculo, & raròſine extremo diſcrimine dari poſſunt. Cujus diſtinctionis *ignorantia* fatalis

talis *Chymiſtas* ſæculi præteriti, fautoreſque eorum doctos, cenſuris & criminationibus medicorum magis *Galenicorum* ſeveris reddidit facilè ritéque obnoxios; adeò ut tota *facultas Pariſienſis*, præclariſſimè erudita, *Mayernum* ipſum, quantumlibet doctum, variiſque artibus inſtructum, quantumlibet poſteà alios omnes medicos ad rem augendam attentiſſimos longè excelleret in opibus accumulandis, cæteroſque *Emetica Antimonialia* præſcribentes, ut homicidii reos, ſententiis ſuis damnaret. Quippè & idem error *Chymiſtarum* in non diſtinguendâ tempeſtate propriâ ea exhibendi, tot homines extinguere morte repentinâ tunc credebatur, ut clariſſimum medicum, *Guidonem Patinum*, non minùs doctum, honeſtum, peritumque medicum, quàm facetiarum plenum, induceret ſcribere in *Epiſtolis* ſuis, nonnullos ſui temporis magiſtros ſpagyricos *benedictis* illis *Emeticis*, *amicos, uxores, filioſque ſuos chariſſimos inauſpicatò jugulâſſe.* Mitiora igitur & tutiora *emetica*, ut *vitriolum album*, ſal vitrioli, *Epicacuannam* veram Braſilienſem, Oxymel ſcylliticum, infuſionem *cardui benedicti*, aut aquam ipſam tepidam, cum oleo olivarum vel amygdalino, ut plurimùm antepono, & præſertim tempore hyemali, fortioribus periculoſiſque *Emeticis.*

Notandum etiam medicos veteres præclaros, *Emetica* mitiſſima, innoxia, naturæque haud adverſa, idque multò frequentiùs more noſtro

vulgari, ut mihi videtur, uſurpâſſe. Siquidem *vomitum* vulgò ciebant prudentiores medici ſine pharmacis aut medicamentis, & ſine omni periculo animam expirandi, unà cum humoribus ventriculum infeſtantibus. Ut primùm enim thorax ſe malè haberet, aut viſcera in illo contenta, vel aliter in *principio* morbi fientis, antequam formaretur morbus perfectus, antequam lecto decumberent, febribus acutis afficerentur, pleuritide aut peripneumoniâ affligerentur, aut alii affectus graves confirmarentur, tunc ſubitò ciborum onere ventriculum levabant, per lenem vomitionem. Scilicet poſt levem cœnam ac repletionem, ex radiculis, naſturtio, portulacâ, aut ſimilibus coctis, hauſtâ aquâ tepidâ modicum vomitum, neque vires dejicientem, tutò illi extimulabant; & aut digito in os immiſſo, aut plumâ oleo illinitâ, ventriculo debilitato auxiliabantur. Nimirùm id actum tempeſtivè, ſi *ſudor* nimius toto corpore ſine causâ manifeſtâ emanaverit, ſi ſitis a ſomno, ſi oſcitationes aut pandiculationes frequentiores, ſi ſputum, quod excreatur, ſapiat ſalſum aut amarum, ſi animi triſtitia fuerit gravis, ſi vigiliæ importunæ; ſi dolores vagi pectus & ſcapulas opprimerent, & denique ſi algoribus, gradu frigoris horrore ipſo minori corriperentur.

Secundo, vos monere aliquid libet de *venæſectione*, altero maximo auxiliorum medicorum, ſine cujus uſu opportuno medicus, quan-

quantumlibet ornatus, medicaſtrum imperitum ſe exhibebit. Et reverâ miſereri convenit inſcitiæ aut pervicaciæ illorum, quibuſcunque in terris verſantur, à *Gadibus* uſque ad *Gangem Chinamque*, qui ſtultè debacchantur in tàm utile támque neceſſarium auxilium medicum; & quorum futiles ratiunculæ, poſt *Galeni* ſcripta de *Venæſectione*, & poſt tàm univerſam *experientiam*, nullâ refutatione ſunt omninò dignæ. Id volui vobis de hâc re commendare, nȇ nimis ſerò, in *Febris* ſtatu, aut etiam progreſſu, cum vires dejiciuntur, ſanguinem detrahere, & unà cum ſanguine exhauſto vires reliquas exhaurire unquam audeatis; quanquam *pulſus* nonnunquam tàm ſerò permaneat *fortis*, & febrientes *vertigine* tunc exagitentur. Nam in viribus ex progreſſu febris dejectis, magis deficient illæ & collabentur, exhauſto ȇ venis ſanguine in ultimis febris diebus, ut proindè ex errore iſto, mortifero vulnere accepto, ægrotantes præmaturè conficiantur. Idque non rarò fiet paucis deinceps horis. Dixi aliàs *Cælium Aurelianum* ipſumque *Celſum* prudenter requirere, *ut ſanguis mittatur ſolummodò primâ diatrito, ultrà verò numquam.* Quod quidem conſiderationem noſtram maximè meretur, quanquam in regionibus calidioribus febres epidemicæ ſunt plerúmque noſtris magis acutæ, citiúſque ſolent ſuâpte naturâ interimere.

Tertia

Tertia contemplatio noſtra reſpiciat *medicamenta* in *Febribus* varianda, juxtà tempora illarum inſigniora, nimirùm principium aut incrementum, & vigorem aut ſtatum. In primis earum diebus, ad inflammationem compeſcendam, *refrigerantia* & contemperantia, cùm ratione tùm experientiâ, maximè omnium conveniunt. Ideoque medicamenta calidiſſima, ut *Mithridatium*, *theriaca Andromachi*, aquæ ſpirituoſæ, & ardentiores, tunc temporis ex ædibus febricitantium promerentur exturbari. Difficile eſt dictu, quo malo fato aut conſilio ejuſmodi compoſitiones, ad alios longè uſus, nempe *venenatos*, inventæ, & in regionibus animalium venenatorum feraciſſimis, in hæc regna longinqua, à multis venenis libera, tandem fuerint allata aut introducta, ad perniciem *Febrium* conduplicandam: Niſi quòd facilè credatur, farraginem ſimplicium multiplicem aut inconcinnam omnibus illis morbis poſſe ritè accommodari, quibus ſingula ſimplicia perhibentur eſſe utilia: Niſi & *Medicina Politica* multos inſtruat favere hujuſmodi artificiis, aut ea permittere, tacitas quiſdam ob rationes, quæ vincunt ubique & præponderant in *artibus* tàm liberalibus quàm illiberalibus. In principio incendii domûs, æquâ ratione conveniet novum fomitem adhibere, ac febrile incendium velle extinguere in ſuo principio igneis ullis medicamentis.

Quæ

Quæ *diluunt* exuſtum ſanguinem, & quæ attenuant ac liquefaciunt ſine calefactione *viſciditatem* lymphæ, cujus tranſpiratio per poros naturalis eâ tenacitate ſuâ reprimitur, quantumcunque fuerint vulgaria, videntur magis propriè indicari, quàm illa quæcunque *viſciditatem* humorum augent, quæ ſitim accendunt, & quæ combuſtioni corporis præſenti novum pabulum ſupplent & ſubjiciunt. *Julapia* veterum, non deſtillata, delicatuliſque grata, ſed domeſtica, faciléque in culinâ & extempore præparata, ex paſſulis, hordeo, melle aut ſimilibus in aquâ communi, & lacte cocta, & in lecto calidè pota, *ſudorem* longè *tutiùs* elicient, conflagrantibus medicamentis quantumlibet celebratis. Sed ptiſana ex hordeo cocto, noſtris *aqua hordei*, quod *unicum* ex refrigerantibus habetur attenuare, omnibus aliis ſorbitionibus præfertur ab *Hippocrate*, in libro de victûs ratione in morbis acutis. Quotuplicia verò ſera lactis, folio aliquo ſalubri medicata, bonæ noſtræ mulierculæ, in ſolamen ægrotantium, idemque beneficium vulgò præparant?

Siquæ *medicamenta* ſint ſemper innocua, minimâque reprehenſione digna, in ardore iſto *Febrili*, (neque levis eſt conſolatio viro probo,in rebus dubiis, faciléque errori obnoxiis, ſe ſaltem inculpatum tueri, ſi ſe minùs utilem præbere nequeat) ſiquæ ſint quæ fermentum in ventriculo vitiatum corrigere, aut perturbationem humorum in corpore exortam

ortam mitiſſimè ſedare valeant, id omne tutò quidem, & non raro efficaciter facient *pulveres teſtacei*, in uſum fermè vulgarem recepti à medicis præclaris recentioribus, quantumlibet fuerint prætermiſſi à veteribus medicis pæclariſſimis, qui venæſectione copioſâ, tenui Diætâ, & *aquâ frigidâ* epotâ (idque ſine quotidianâ pharmacorum ingurgitatione, quantumcunque illa ventriculo repugnent) in *Febribus continentibus* ſæpiſſimè ſunt aſſecuti, quod nos pharmaceuticis officioſè indulgentes, ſecundùm artem rariùs poſſumus. Siquidem nihil (quod ſcio) legitur in *Galeno*, de oculis aut chelis cancrorum in pulverem redactis, niſi quòd uſtorum cancrorum cinis inter carmina *Damocratis* celebratur ad conficiendam antidotum adversùs canis rabidi morſum. Neque *Teſtaceis*, ut teſtis oſtreorum, buccinorum, purpurarum, cochlearum, vel cancrorum, & ſimilibus, niſi uſtis, *vim* tribuit *Galenus*, eamque maximè ad cava ulcera implenda, ut videre eſt in Libro xi. de ſimpl. medic. Facultat. Neque tantus ille medicamentorum ſimplicium undecunque indagator, internum ullum uſum *Margaritarum* aut *Bezoar*, quod ſcio, uſpiam laudat. Inter uſum verò *Teſtaceorum*, quò meliùs conveniant, advertendum eſt, alvum oportere ſolubilem reddi, per *Enemata* nonnunquam injecta, nè ex flatibus retentis, & fæcibus obduratis, natura conturbetur, & ventriculus ab intemperie nimis ſiccâ, & congeſtione terrenâ ac concretâ lædatur oppreſ-

ſus

ſus & debilitatus. Hâc de re nunc porrò dicere libet, *viliora* aut vulgatiora *Teſtaceorum* genera, ut teſtas oſtreorum mundatas, & ſine ignis aut furni calore exiccatas, chelas cancrorum, oculoſque cancri præp. commodiùs inſervire populo ſublevando; *Margaritas* verò, *Bezoar*, & *Hyacinthum*, Dominis illuſtrioribus delicatioribuſque, quæ *pretioſa ſola* amant ac ſuſpiciunt, meliùs placere poſſe gratiúſque convenire. Obſervationem equidem non contemnendam, ad utilitatem inſigniorem *Teſtaceorum* ulteriùs demonſtrandam, communicare non gravabor, cùm de *Febribus Intermittentibus* paulò pòſt ego diſſeram.

De modo operandi, quo *Teſtacea* vim ſuam ſalutarem ventriculo præbent, id totum ſpeculatoribus curioſis illuſtrandum relinquo. Libet ſolummodò viris in arte diu exercitatis proponere, an experimenta nonnunquam pulchrè ſpectata, ad probandam illorum majorem vel minorem fermentationem, ebullitionem, ſeu vim agendi in corpore humano, poſſint cenſeri demonſtrativa ejuſdem facultatis aut operationis in ventriculo, cujus fuerint priùs in ampullâ. An ita comperiantur, ego multùm maximéque dubito, quia rara eſt analogia idonea inter *ſuccos naturales* in ventriculo aliiſque corporis vaſis aut viſceribus contentos, à ſummo omnium opifice perfectos, & ſpiritus illos ardentes aut corroſivos, artificio *Chymico* confectos; rara

eſt

eſt inter opera *Naturæ* abſoluta & ſuſpicienda, operaque *artis* craſſa & imperfecta, adumbratio quædam aut aſſimilatio. Proindè ſi experientia nos doceat & confirmet, *Teſtacea* eſſe naturæ noſtræ infirmæ benigna ac benefica, in exacerbationibus febrilibus, non multùm refert, ſi permanſerim commentorum ignarus, quo demùm modo ſyſtema illud nervoſum, introitum ventriculi diligenter cuſtodiens, *Teſtacea* refocillent, & *cardiacos* doloribus ſuis leniant ac permulceant, quo ritu eadem humores fundo ventriculi adhærentes immutent, & quâ ratione ipſum ſanguinem blandè afficiant.

In vigore & ſtatu *Febris Continentis*, cùm morbus eſt magnus, vireſque ſunt debilitatæ, *Cardiaca* qualiacunque, ſi unquam, maximè conducunt; ad vires ſcilicet languidas reſarciendas, & domicilium corporis facilè collapſurum ſuſtentandum. Et tunc temporis *Epiſpaſtica*, more noſtro recenti, à capite ad calcem debiliſſimis adhiberi ſolent, loco coronidis, aut inunctionis poſtremæ, aut Valedictionis medicæ, ut nihil videatur deeſſe ad ſanitatem, ſi poſſibile ſit, reſtituendam. Huic novæ conſuetudini febricitantes *epiſpaſticis* tot obliniendi primam originem apud nos videtur dediſſe Vir magnæ famæ, & nominis apud nos longè diffuſi, qui ſine ſtudio moleſtiori, & pænè ſine literis doctis, maximè *Græcis*, aut ſine abſumendo otio ſuo jucundo in volvendis veterum aut recentio-

 rum

rum ſcriptis medicis, plùs exiſtimationis medicæ, ſuo *Marte* aut *Mercurio*, aut ingenii acumine exquiſito, ſibi comparavit; plùs imperii deſpotici & Autoritatis medicinalis aſſecutus eſt; & plus divitiarum neſcio quibus poſteris egregiè congeſſit; quàm quilibet alius ſui temporis, eodem ſtudio vel deſiderio divitiarum inflammatus. Hic fuit ille, qui clariſſimo *Millingtono* publicè minitatus eſt, totam *Artem Medicam* dimidiâ ſchedulâ ſe poſſe aut velle comprehendere, ut olim *Theſſalus* dimidio anno docere. Cui arrogantiæ acutè reſponſum eſt: *Totum, ut opinor, quod tu noveris in re Medicâ, ità breviter te poſſe complecti.*

Sed ejuſdem *Medici* egregii, nuper apud nos celebritatem ſummam obtinentis, magna quidem *admiratio* me inceſſit non propter *Epiſpaſticorum* totidem uſum primum introducendum, neque propter copiam rerum lucratarum partam, ſed propter gravem, ſagacem, ſapientemque quandam ejus contemplationem. Videns enim poſteà ex accidenti locupletem *Hæredem*, filiumque clariſſimi cujuſdam Medici, poſt obitum Patris ſui opulenti, ex incompoſito & conturbato veſtitu bellè ſe ornantem coràm ſpeculo; & cùm pharmacopola ipſi propè aſſidens illum tunc cogitabundum interpellaret, & importunè urgeret, ut pro nobili quodam modò viſitato quædam præſcriberet; ille torvè, ſed ſedatè reſpondit: *Ego neſcio annon pœniteat, me*

ægris unquam præſcripſiſſe, vel Lucrum commodum feciſſe; ſcilicet conſiderans, *magnas* illas *opes* à Patre Celeberrimo relictas ſolummodò inſervire lenociniis ſuis, corrumpendo & depravando prodigo Hæredi. Et quæ fortè conſideratio virum ditiſſimum, præ aliis cauſis ità commovit, ut Teſtamento ſuo noviſſimo conſanguineis ſuis aliquantò parciùs, publicis verò uſibus liberaliùs conſuleret.

Videtur verò *Epiſpaſticorum* iſta multitudo, in extremis nunc adhibita, benevolè deſignari, ut febrem ardentem ex penetralibus corporis tentent attrahere aut extorquere. Quemadmodum enim Febris, per *ſudores* à naturâ vel arte excitatos, ſæpè ſalutariter expellitur, ita & *Epiſpaſtica* multa, ignem igni admovendo, qualiter vulgus nonnunquam vult experiri in partibus Ambuſtis ſanandis, poſſint aliquandò ſtimulis ſuis & vellicationibus unitis extrorsùm Febrem exagitare, ejicere è corpore aut exturbare.

Verùm ipſe multò magis quidem velim rem permittere deſperatam aut prorsùs incertam, naturæ benevolentiæ, artiſque aliis ſalubribus auxiliis; aut mortem, ſi ita *Deo* placeat, oppetere lenem, naturalem, & tolerabiliorem, quàm incertos illos ſucceſſus cruciatuum tunc adhibitorum periclitari, quomodocunque contrà obtineat recens conſuetudo.

Quod

Quod verò ad *Cardiaca* attinet, ego *vinum* tepefactum, ſive *Luſitanicum* ſive *Hiſpanicum*, & præſertim in viris temperatioribus, comprobare ſæpè ſoleo, *aliiſque Cardiacis* multis nonnunquam anteponere. Si quis verò malit *Cardiaca* officinalia, aut pretioſiora, non libet admodum repugnare. Quinetiam curam aliquam adhibeo inter medicandum, ut *vinum ſit meracum*, non adulterinum aut factitium. Et cùm nobile illud vinum *Burdigalenſe* in uſum recipietur, quod vulgò obtinuit circiter triginta retrò annos, benignè, ut opinor, à nobis accipietur.

Reſtat alia conſideratio, quam vobis multùm commendare volui, ut maximi momenti, eaque verſatur in *Declinatione* vel remiſſione *Febrium* quarumcunque *Acutarum*. Quamprimùm enim ex pulſu paulò tardiori, ſiti reſtinctâ, aliiſque ſymptomatis remiſſis, compertum habeo, tantillùm *declinâſſe Febrim*, *Sennæ* pulveratæ ſaltem ſcrupulum, aut ſyrupi de cichoreo cum rheo unciam, eâ nocte exhibere convenit, ut leniſſimè exoneretur alvus, eoque pacto Febris penitùs diſpareat, & præveniatur *Febris recidiva*, aut *abſceſſus* aliquis, præſertim in junioribus. Dúmque vires ſunt valde infirmæ, alternis ferè diebus lenitivum ejuſmodi æquum erit repetere, donec vires recolligantur, & idonea fuerit occaſio reliquias febriles paulò copioſiùs expurgandi.

His annotatiunculam equidem adjungam, de *ſyrupo cum rhabarbaro* vulgariter confecto, ſyrupoque, ſi quis alius, utili ac ſalubri; nimirùm nonnullos pharmacopolas, inter incidendum *Rhabarbarum*, ſolere putridam ac depravatam ejus partem in chartâ ſeponere, ad ſyrupum illum præſtantem, ut dicitur, conficiendum: Ut mihi priùs ſignificatum, & paulò certiùs mihi innotuit, cùm Medicamenta Officinalia, *Cenſoris* munere fungens, non ità pridem perſcrutarer. Quapropter oportet Medicos eſſe cautos, nè nimis fidant, ubi res urget, incertæ ac dubiæ proſapiæ, aut evanidis medicamentis.

Et poſſum teſtari, me hujuſmodi *lenitivis* remediis opportunè exhibitis, plures febricitantes ab omni periculo certo certiùs liberâſſe, cùm in extremo diſcrimine verſarentur, & ab amicis ſuis aſtantibus haberentur deplorati, quàm ab aliis quibuſcunque remediis obſervare unquam potui.

Ad *Febres Intermittentes* jam tranſeat oratio, eaſque omnes planè conſtat ſedem habere eandem, propriamque in *Ventriculo.* Multa hoc evincunt, & præ aliis nauſea *vomituſque* in principio paroxyſmorum oborientes, ab humoribus variis tunc commotis, & in tunicis ventriculi priùs impactis; quorum humorum in ventriculo contentorum varietas, variaque natura ac diſpoſitio, ſive acris & calida, ſive pituitoſa & frigida, lenta, craſſa aut melan-

cholica

cholica, videtur poſſe præ aliis efficere *Febrium Intermittentium* tàm diverſos paroxyſmos, pro ratione ebullitionis illorum, aut tumultûs celerioris, vel tardioris in diverſis temperamentis, annique tempeſtatibus. Neque enim æſtus motuſque reciproci ſunt fluido marino, quàm animali magis proprii, neque minùs æſtuant nonnunquam, cæteris paribus, fluida in *Ventriculo* noſtro, maximo humorum corporis alveo & receptaculo. Sed & ipſa harum *Febrium curatio* locum affectum maximè demonſtrat, ut uſus medicamentorum Amarorum egregius, & præcipuè *Corticis Peruviani*, amaritudine præditi, *ſal abſynthii* ventriculo dicatum, & in hauſtu febrifugo *Riverii* cæteris prædominans; atque pulverum *Teſtaceorum* miri effectus, vixque adhuc, quod ſcio, Medicis doctis benè cogniti, ad *omnium Febrium Intermittentium* paroxyſmos tutiſſimè diſſipandos; & denique Fotus, Emplaſtra, & Cataplaſmata *ſtomachica* ventriculi regioni adhibita.

Ætiologiam particularem magiſque diſcriminatam hujuſmodi Febrium, viris magis curioſis equidem relinquo, qui reconditum maris æſtum explicare valent, cauſamque motûs ſanguinis animalium reciproci; qui prætereà paroxyſmos alios, ut cephalalgicos, aſthmaticos, arthriticoſque accuratiore ratiocinatione poſſunt explorare. Agnoſco hæc, & multa ſimilia, imbecillitatem noſtram magnoperè ſuperare, niſi quòd nonnunquam ar-

gumenti aut diſceptandi gratiâ, cum multis ſit loquendum.

In *Tertianâ duplici* quæ proximè accedit ad Febrem acutam, & quæ non ineptè dici potuit *quotidiana*, ſi ita placuiſſet primis Febrium denominatoribus, *venæſectio*, ſi vires ferant, ſummè neceſſaria eſt ante *Corticis* exhibitionem.

De *Tertianâ* & *Quartanâ*, non opus eſt res tritas, vobis præſertim, repetere. Sed quò longiùs recedunt paroxyſmi à naturâ *Febrium Continuarum*, aut quò majus fuerit intervallum inter acceſſiones, eò minùs periculi videtur ab illis impendere, quoniam amplior eſt locus commodiorque *Curationi*.

Nonnunquam *Tertianas*, *Quartanaſve* ipſas curare contigit, *Catharſin* opportunam adhibendo, nimirùm ſex circiter horis, cùm commodè fieri poteſt, ante paroxyſmum expectatum, ut proindè ejus operatio abſolvatur ante acceſſionem, & Cardiacum aliquod aut mite narcoticum paulò ante tempus acceſſionis exhibeatur. Sed notandum eſt, ſi *Febre Intermittente* liberati veſpertino aeri, per ſeptimanam unam aut alteram, nimis audacter ſe exponant, aut fructibus horariis comedendis, citiùs quàm par ſit, indulgeant, ſimiliter erunt proni utplurimùm recidivæ, ex iſtiuſmodi curatione aut aliâ qualicunque

qualicunque, ac ſi ipſo *Cortice* Febres fuiſſent profligatæ.

De *Corticis* uſu ſpeciatim annotare libet, quòd in viris tres vel quatuor guttas olei ſulphuris per campanam, aut aliquot drachmas ſucci limonum cum tantillo laudani liquidi, vel ſyrupi de meconio, ſingulis aut alternis *Corticis* doſibus, ſæpè expediat immiſcere: in fœminis verò, & maximè in virginibus, in quibus ſumma ſemper habenda eſt cautela, nè menſium ſuppreſſio comparetur, acida & narcotica rariùs conveniunt. Quinetiam in tenerioribus ſaltem naturis, & præſertim fœminis, *Infuſio frigida Corticis* pulverati ſeſquiunciæ in vini libris duabus eſt longè tutior, & accommodatior ipsâ ejuſdem ſubſtantiâ, & recidivam certiùs effugiet; præſertim ſi uſus ejus tutiſſimus repetatur.

Quandocunque invadit paroxyſmus cum *tuſſi* importunâ, aut cum efflorèſcentiâ corporis univerſâ, *Febri Scarlatinæ* non multùm abſimili; quæ poſt paroxyſmum ſolet evaneſcere uſque ad proximi adventum, *venæſectio* in primâ intermiſſione ſummè neceſſaria eſt, & *catharſis* in ſecundâ utilis, antequam tuta fuerit *Corticis* exhibitio. Quicunque verò his ſymptomatis anomalis, in *Febre Intermittente* corripiuntur, *Febribus Acutis* maximè *Inflammatoriis*, ex temperamento calidiori ſummeque ſanguineo, ſunt obnoxii; ideóque tali temperamento donati

imprimis cavere ſibi debent, in ipſo *principio* ſuarum *Febrium*, neque licet illis tantillùm procraſtinare curam, ſed oportet opem medicam quantociùs implorare, nè occaſio propria, ſed præceps, citò illos effugiat.

Ex quo tempore *Corticis* uſus popularis ità invaluit, aliæ quæcunque methodi *Febres Intermittentes* profligandi Medicis noſtris recentioribus in deſuetudinem ferè abierunt; quanquam certum eſt in *puerperis* aliiſque nonnunquam febricitantibus, diverſam à *Cortice* curandi rationem eſſe magis commodam & conſentaneam. Ideoque *Obſervationem* non vulgarem neque aliis hactenùs tactam, vobis nunc communicabo, quæ ad curandas *Febres Intermittentes* ope *Teſtaceorum* inſigniter ſpectat. Etenim benè ſum perſuaſus, neminem poſſe detrimentum pati, aut damnum ullum accipere, de quo conqueri debet, qui lucello ſuo proprio ſalutem publicam ſtudet anteponere. Et quia egregios aliquos uſus *Teſtaceorum* copioſiùs exhibitorum, in curatione *Febrium Infantilium* me priùs monſtrâſſe contigit, ſpero, non diſplicebit, ſi ulteriorem eorundem utilitatem ad propulſandas *Febres Intermittentes* ego nunc commonſtrem.

Cùm ex noto tempore invaſionis priorum paroxyſmorum exquiſitè determinari poteſt

teſt de acceſſione futuri paroxyſmi, exhibere ſoleo *pulveris è chelis cancrorum ſimplicis* ſemidrachmam, aut ſcrupulos duos, duabus horis ante paroxyſmum, in cochleari aquæ lactis alexiteriæ, aut menthæ, aut ſeri lactis, ſuperbibendo ejuſdem hauſtulum, alteramque pulveris illius doſin conſimilem, horâ unâ poſt priorem pulverem.

Si doctiùs præſcribere placet in gratiam Dominarum, hujuſmodi licet: ℞. Pulv. è chelis ♋ ſimpl. aut compoſ. ℥i. Margar. aut corall. rubr. præp. & ſal. abſynth. ana ℈ſs. m. f. Pulvis tenuiſſimus in 2 chartas diſtribuendus, & ſimiliter exhibendus.

An *Pulvis Gaſconicus* vulgaris ſimplicibus cancrorum chelis, aut oculis, prætерquam pretio, ſit nunc verè præſtantior, licet nonnihil ſubdubitare, cùm multoties in officinis hodiè conficitur, ſine *Bezoar* quantulocunque, & color illius *Bezoarticus*, ab aſtutis jam plerúmque comparari dicitur, imbuendo pluverem ſucco foliorum *ſpinachiæ* & tantillo *Croci*; nimirum ut meliùs denominetur *pulvis Bezoarticus.* Sed iſta impoſtura facilè dignoſcitur, agitando ſeparatim utramque ſpeciem, veram & falſam, cum aquâ purâ in duabus ampullis. Nam pulvis artificioſus aut fallax aquam imbuet quâdam viriditate, cùm verè *Bezoardicus* eam omni virore immunem relinquet.

Sed ut tutiùs duabus nitar anchoris, nonnunquam conſulo, ut linteum duplicatum calefactum &in *ſpiritu vini* calido madefactum, *ventriculi* regioni adhibeatur, ſub adventum paroxyſmi. Quod remedium empyricum, ſed non contemnendum, conſcribitur in Epiſtolâ inſigniſſimi *Cratonis* ad *Camerarium*; legiturque in Epiſtolis *Scholtzii*, collectioni ſuæ Conſiliorum Medicinalium annexis, in Epiſtolâ 113. Hoc ſcilicet modo dicit ipſam *Quartanam* curari: Et quæ curatio *ſedem morbi principalem* planè demonſtrat.

Nonnunquam etiam ventriculo adhibui in eundem finem, emplaſtrum è *Mithridatio*, & oleo nucis moſchatæ per expreſſionem, in alutâ densè extenſum, margine emplaſtri illinito cum Empl. Adhæſivo.

Hæc verò tàm ſimplicia, tàmque innocua medicamenta, præſertim in *Vernalibus Intermittentibus*, non raro primum paroxyſmum reverà propulſabunt. Quod ſi illum ſolummodò multum minuant, non prorsùs ſuperent, eoſdem pulveres febrifugos oportebit ſimiliter repetere, ut priùs, ante inſequentem paroxyſmum, bis vel ter.

Interim maximè notandum eſt, ægrum oportere omninò abſtinere ab omni *potu Cereviſiali*, tempore paroxyſmi, quantumvis ſiti exardeſcat. Etenim ſi paroxyſmo his fugato, aut paulùm elapſo acceſſionis tempore,

pore, cereviſiam aliquam bibat, per ſex vel octo deinceps horas, tunc *Vomitus* aut aliud aliquod ſymptoma febrile ſolet exindè conſequi. Ideoque moneo & inculco, nihil expectari poſſe beneficii, ex uſu *Teſtaceorum*, ſi *Cereviſia tenuis*, minimâ quidem ex parte tunc indulgeatur: Quam conſiderationem perhumanis illis Medicis commendo, qui *Variolis* aliiſque acutis *Febribus* correptis, Cereviſiam noſtram tenuem, vulgò crudam & incoctam, permittere non reformidant.

Quandoquidem verò potus quiſpiam multùm requiritur ad ſedandam aut extinguendam ſitim in paroxyſmo exoriri ſolitam, hujuſmodi ſerum ſubſtitui poteſt. Fit ex vini albi ℥ iiij. & aquæ ana aut ℔ ß. in lact. vaccin. ℔ ij. incoctis. De hoc ſero, ſublato coagulo, tutò bibere poſſunt.

Hæc pauca de his *Febribus*, ſincero animo benevoloque conſcripta, utinam tàm utilia vobiſque digna, quàm inartificioſa, & ſine involucris, volui communicare. Et hoc mihi liquet, quicquid doctioribus aliter videri poſſit, rariſſimè in *unius* hominis poteſtate poni, utcunque ars medica plures magnos præclaroſque viros produxerit, in *multis* ſaluti publicæ egregiè prodeſſe. Quicunque igitur in ſtatu mediocri poſitus, & *in re unicâ egregiâ*, aut pauculis laudabilibus Reipublicæ utilem ſe exhibebit, theſaurum ſe inveniſſe, ſe ſatis locupletem, ſatis beatum credat.

credat. Quiſquis ille fuerit, gratias immortales *Numini Divino* ſuppliciter reddat; *Numini*, inquam, *ſupremo*, à quo omnia bona deducuntur, omneſque illuſtres facultates homuncionibus imbecillibus benigniſſimè donantur. Vixit enim aliquatenùs aliis, non miſero ſibi ſoli; vivatque diu & in æternum vivat omnis beneficus, qui ſalutem publicam ſuis rebus exiguis verè anteponit, oro vivat in æternum.

Poſtſcriptum.

NEQUEO hic tacitè præterire, quod nuperrimè apud nos editus ſit iterùm atque iterùm, vel ſepties intra annum, linguâ vernaculâ, liber plenus Benevolentiæ, ſummæque Humanitatis, à Reverendo Domino *Hancock*, in Theologiâ Doctore, & Præbendario Eccleſiæ Metropolitanæ *Cantuarienſis*, inſcriptus *Febrifugum Magnum*, ſive *Aqua Communis optimum Febrium medicamentum*; & in quo libro auctor integerrimus, ex propriâ ſuâ Experientiâ, & ab exemplis præſertim allatis domi ſuæ numeroſæ, non veretur aſſerere, *Aquæ Frigidæ* duas plerúmque ſelibras, aut nonnunquam tres vel quatuor, ægrotantibus in lecto decumbentibus propinatas, modicisque intervallis quadrantis ferè horæ, unam poſt alteram ſelibram, exhibitas, certocertiùs efficere, ut *Febricitantes* paulò pòſt in *Diaphoreſin* copioſam

pioſam incidant. Et porrò pro certo affirmat, quod maximi eſt momenti, pænéque incredibile, ſi ſudores ſic excitati permittantur aliquamdiu profluere, neque cohibeantur ante ſymtomatum Febrilium idoneam ceſſationem, *Febris Continens* quæcunque illa fuerit, *die proximo* ſic penitùs profligabitur.

Hunc uſum admirabilem *Aquæ Frigidæ*, in *Febribus* tàm citò curandis, maximè laudat in illarum principio, vel primis illarum diebus; ſed neque dubitat eandem etiam prædicare, in *quocunque Febris die*, uſque ad *ultimum*, & aliquot inſtantiis proſperi ſucceſsûs veritatem dicti ſui confirmat.

Et hoc recens Experimentum ſuum utilitatis *Aquæ Frigidæ* vir bonus proſequitur, (utinam Fiducia ejus tam felix fuerit, quàm deſiderata!) ad ipſam *Peſtem* curandam, ad *Febrium intermittentium* paroxyſmos ſubmovendos, ad *Pleuritidem*, *Anginam*, *Rheumatiſmum*, *Arthritidem*, Aſthma, plureſque alios affectus. Verùm in Febribus cum *eruptione* conjunctis, ut *Variolis*, *Morbillis*, *Febre ſcarlatinâ*, & ſimilibus, utilitatem *Aquæ Frigidæ* etiam laudat, etſi ea *ſudores* in illis morbis *non* valeat elicere. Et reverà *Aqua Cocta*, demúmque refrigerata, in *Variolis* incipientibus longè præſtat *Vino* & *Cardiacis* omnibus Inflammantibus. Sed in *aliis* illis *Febribus* ad *ſudores* procliviori-

bus

bus deſiſtendum eſt ab uſu *Aquæ Frigidæ*, quamprimùm ex eâ causâ *ſudores* emanaverint.

Tàm tutum verò támque vulgare remedium, facile eſt cuivis experiri; ſed præjudicia vulgaria, & contemptus rerum vulgarium iniquos ſuperare difficillimum. Quòd ſi hæc & hujuſmodi utilia à doctis & indoctis unà comprobentur, *Miracula Aquarum Pliniana* jam reticebimus, & præſenti ſæculo gratulabimur, ſicut à *Monacho Germano*, Bertholdo Schwartz bene vel ſecùs occupato, fortè priùs contigit *Pulveris Pyrii* dira & atrox inventio in exitium humani generis circiter *A. D.* 1380. ita nunc *A. D.* 1723. à *Theologo noſtrati*, Domino *Johanne Hancock*, maximâ ex parte, inventum eſſe *Miraculum* quoddam *Medicum*, è vulgatiſſimis, ceu *Febrifugum* hoc *Magnum*, undique diffuſum, neque id fallax Chymicum *Arcanum*, ſed *Panacæam* naturalem & inexhauſtam, ad ſalutem Febre aliquâ periculosâ decumbentibus citiſſimè & mirificè reſtituendam.

Eſt & aliud maximi apud me ponderis non modò in *Febribus* curandis uſitatum, ſed ex permultis aliis occaſionibus, ideóque ſcitu magis neceſſarium, & quod nunc volui opportunè ſubjungere. Idque omnibus medicinam factitantibus ſummè notandum eſt: Scilicet de *Epicacuannâ*, radice illâ Emeticâ nunc uſitatiſſimâ; quæ quantamcunque

hactenùs laudem fuerit merita, pro egregiis ſuis virtutibus, in omnibus inteſtinorum profluviis ſiſtendis, & in Ventriculo mundando ac liberando ab onere humorum ſuperfluorum Coctionem perturbantium, morboſque complures procreantium; tamen nunc in hâc improbâ & degeneri ætate, quæ *Simplicia* pleraque *exotica*, lucrandi causâ, vitiat, adulterat, *ſupponit*, ſine conſcientiâ unquam reclamante, maximum nobis eſt periculum *Epicacuannam* illam priùs perutilem, jam ampliùs temerè præſcribere. Etenim nunc paſſim venditur, & uſurpatur pro verâ *Epicacuannâ Braſilienſe*, venenata quædam radix, vel radix *Apocyni*, quæ importatur à *Jamaicâ*, *Portobello*, & *Virginiâ*, & quæ formâ ſuâ, magnitudine, & colore, veram nimis repræſentat. Quandoquidem vera *Epicacuanna* ſat leniter Vomitum movet cum εὐφορίᾳ, & levamine, falſa & venenata, ut alia quædam Venena lethalia, immodicè ſurſum ac deorsùm movet, ſæpè ad vires omnes penitùs exhauriendas. Et plures ut audio ex hâc causâ ſubitò interierunt. Cæterùm modus eas radices *Integras* diſtinguendi (nam in *pulvere* diſtingui nequeunt) eſt potiſſimùm in radice confractâ perſpiciendâ, per cujus meditullium ſcilicet exporrigitur vel protenditur filamentum vel fibra in verâ ac tutâ *Epicacuannâ* albidi aut cineritii coloris, in ſpuriâ ac venenatâ filamentum coloris fulvi: Et quæ diſtinctio ſubdifficiliùs compoſitores medicamentorum vulgares adhuc plerumque later

tet; ſed non illos latet, ut opinor, multò vilius *Apocyni* pretium, ideóque valet hujus cooptatio præ altero pharmaco pretioſiori. *Quis talia fando temperet à lacrymis?*

De *Apocyno*, vel *Cynocrambe*, olim canum Κυνῶν, nunc hominum veneno, vid. *Galenum* lib. vi. de ſimpl. medic. facultatibus.

DISSERTATIO II.

De Variolis & Morbillis curandis.

Oct. 23. 1718.

CUM *Chirurgi* plures, inter ſcribendum de rebus propriè *Chirurgicis*, ſive Externis, præ ſe ferunt tractare de *Variolis* & *Morbillis* (morbis ſæpè ſuperantibus peritiam, & ſcientiam quantamcunque, Medicorum arte medendi inſtructiſſimorum, probéque exercitatorum, quando ſeriùs illis accerſuntur Medici) propter externam, ut videtur, morborum illorum effloreſcentiam, & cùm medicis perutile ſit ſuam methodum medendi,

medendi, in tantis effectibus, támque popularibus, oblatâ quâvis occaſione, excolere; cúmque omne auxilium, quantulumcunque fuerit, ad ſubveniendum tàm graviter periclitantibus, contemplationem noſtram attentiorem mereatur; detur jam facultas nobis manus auxiliares, ſuper his blandè porrigere.

De his verò morbis optimè omnium, accuratiùs aliis, diſtinctiùs & maximâ cum laude conſcripſit noſter doctus Collega *Sydenhamus*, vir magnâ prudentiâ Medicâ, & exercitatione inſignis, plurimiſque obſervationibus peritiſſimus. Sed nemo unquam fuit ex omni parte perfectus, ut nullâ indigeat explicatione, illuſtratione, & nonnullâ fortaſſis emendatione. Etiamnùm dici poteſt ut olim: *Multum poſt terga relictum eſt*, majorum ſcilicet noſtrorum, *ante oculos plus eſt*, nempè poſterorum.

Cùm vel nomen *Variolarum* & *Morbillorum* adeò incognitum fuit majoribus noſtris doctiſſimis, *támque* obſcura illorum morborum deſcriptio, ſub voce generali *Exanthematum* ab illis tradatur, ut dubium videatur multiſque incertum, an fuerint antiquitùs in rerum naturâ: Et cùm à pleriſque exiſtimantur eſſe *Novi Morbi*, & nuperis his ſæculis exorti, unà cum *Lue Venereâ*, *Scorbuto*, *Rachitide*, ſimilique ſobole morboſâ neotericis exploratâ; & cùm Medici celebres recentiores utrumque morbum complexi ſunt in eodem capite, ac ſi perexigua inter illos fu-

erit differentia: Certè magnas debemus gratias præclariſſimo *Sydenhamo*, qui primus longè diſtinctiùs aliis autoribus hos morbos deſcripſit, adeò ut cognitioni Signorum & Symptomatum ab illo traditæ nihil dignum ſcitu addi facilè poſſit. *Curatio* pro facultatibus ac peritiâ excellentium Medicorum ſemper immutabitur, & fortè in melius emendabitur, quamdiu Ratio & Experientia humana profectum facient, & adaugere pergent. Itaque de *Curatione* horum morborum obſervationes meas qualeſcunque, longâ tamen praxi conditas, veſtro judicio limatiori ego candidè exponam. Neque tàm ſperabo, Obſervationibus veſtris meliora præſcribere, quàm Commentariola quædam, fortè haud prorſùs inutilia, in tantum Autorem delineare.

Et imprimis dicere libet, *Variolas* magis periculoſas longè ſæpiùs pendere ab erroribus inſulſis nutricum, muliercularum, aut aliorum aſtantium imprudentium, in primis morbi diebus admiſſis, quàm ab ægrotantium naturâ & temperamento; niſi quod à terroribus magnis fortè injectis non raròcontrahantur undique Variolæ periculoſiſſimæ, & præſertim in fœminis, teneriſque naturis. Quamvis etiam juvenes quidam, ſervidiore corporis temperie præditi, aut vini & liquorum ſpiritibus abundantium delinimentis excandefacti, aut venationibus frequentibus æſtuantes, fortè poſſint ſine Erroribus novis genus Variolarum deterius progenerare; & quanquam ipſi Infantes, mitiſſimo

omnium

omnium temperamento fruentes, nonnunquam incidere poſſint in *Variolas Confluentes*, nimirùm nutricum fatuarum *Cardiacis* facillimè inflammati; tamen prorsùs exiſtimo, multifariâ experientiâ edoctus, rariſſimè has diras Tagœdias conſpici, niſi cùm efficiuntur à regimine in primis calido & incendenti. Etenim cùm *Variolæ* ſint morbus planè *Inflammatorius*, & inſigni ſanguinis ebullitione ſtipentur, quam *dolor dorſi* & *ſincipitis* gravior plerùmque demonſtrat, medicamenta omnia excalfacientia in principio exhibita novas faces cœpto incendio certiſſimè ſubdunt. Et meâ ſententiâ nihil unquam fuit in hoc morbo perniciofius, quàm vulgaris iſte error præproperè expellendi Puſtulas *Cardiacis* calefactoriis & intemperatis. Error, inquam, iſte inſtar *Peſtis* cujuſdam longè latéque ſerpſit inter fœmineum ſexum, perindè atque inter Medicos non paucos olim diffuſus eſt, in exitialem generis humani perniciem.

Et *Expulſio* illa *Variolarum* pernicioſa, utcunque fuerit vulgaris, aquis Cardiacis calidiſque, vino *Canarino* cum *Croco* infuſo, *Theriacâ Andromachi* & ſimilibus, in primis morbi diebus plures homines delevit & è medio ſuſtulit expulitque, ut mihi videtur, omnibus aliis Erroribus ſive Mulierculatum, ſive aliorum Medicantium vi unitâ conjunctis.

Valdè exoptarem, nimirùm benè diùque conſcius diriſſimæ undique ſtragis, quam po-

pulis univerſis, longè latéque diſſitis, & præſertim populo noſtrati, *Variolæ* inferunt deteriores, ex *Cardiacis* calidis inſulsè adminiſtratis; in votis, inquam, haberem, ut foret ſancitum, à ſummis *Regni Ordinibus*, nequis apud nos Pharmacopola, Empiricus, nutricula, vel alius, aliave qualiſcunque, niſi docto alicui Medico præſenti id priùs æquum videretur, in rariſſimo aliquo caſu, Aquam ullam *Cardiacam*, Vinum, ſpiritus ardentes, cereviſiam aut potum inebriantem, *Theriacam Andromachi*, *Mithridatium*, aut aliud quodcunque medicamentum excalfaciens, in quâcunque fuerit formâ, idque ſub *pœnâ* aliquâ graviore, ante eruptionem *Variolarum*, & ante inceptam maturationem, exhiberet. Et ut tale Edictum, vel ſtatutum ſalutare ſanciretur, in communem reipublicæ utilitatem, potu ipſe, ut opinor, libenter mortem oppetere, & vitam hanc, quantumlibet charam, ſummiſque in deliciis habitam, meliori & immortal alacriter commutare; ſi oblatio tàm tenuis poſſet tantum Patriæ beneficium conciliare ve impetrare.

Etſi minoris videatur momenti, tamen nequeo quin animadvertam *Sydenhamum*, propterea quod *cereviſiam tenuem* ipſe adamaret & potum illum eſſe innocuum in omnibu Febribus exiſtimaret, cereviſiam eam nimi indulgenter permiſiſſe, in omnibus *Variolis* cùm diſtinctis, tùm confluentibus. Veruntamen inducor multùm ſuſpicari ejus uſum ita communem

communem non rarò eſſe noxium, quia *fermentationem* novam in ventriculo jam perturbato ſolet exuſcitare. Quod quidem mihi luculentiùs apparuit ex quo tempore *Febres Intermittentes* mos mihi nonnunquam fuit *pulveribus teſtaceis* debito intervallo ſumptis profligare. Dixi enim priùs, de *Febribus Intermittentibus* breviuſculè loquens, ſi paroxyſmo his *Teſtaceis* fugato cereviſiam aliquam ſive tenuem, ſive fortiorem bibat æger per ſex vel octo deinceps horas ab elapſo acceſſionis tempore, tunc *Vomitus*, aut aliud aliquod ſymptoma *Febrile*, ſolet exindè conſequi. Sed notandum eſt, cereviſiam tenuem, quæ in hâc urbe vulgò fuit confecta, dum viveret *Sydenhamus*, & ante vectigal exin impoſitum, fuiſſe plerùmque benè lupulatam, benéque coctam, & ventriculo debili gratiorem; nunc verò temporis quid ſit cereviſia noſtra tenuis, quàm ſana aut inſalubris, & quo ritu vulgò confecta, nequeo benè augurari. Adeò ut Hydropotis prudentioribus æquum ſit paulò congratulari.

Et porrò qui Cereviſiam tenuem in *Variolis* admodùm ſuſpicor, *Pomaceum* potum, quem alii non incelebres in eisdem permittunt, multò magis reprehendo, ut majorem fermentationem excitaturum.

Aliud verò eſt, quod *Sydenhamus* non modò proponit, ſed & laudat, & res eſt longè gravioris diſcriminis plena, quam contempla-

tioni veſtræ magis feriò propono. Nimirùm *Emeticum Antimoniale*, ſive *Vinum* dictum *Benedictum* conſulit, in Diſſertatione ſuâ Epiſtolari, pro *Emetico Eradicativo*, in principio *Variolarum Confluentium*, idque exhibendum poſt aliquot horas à Venæſectione celebratâ. Quaſi tales *Variolæ*, poſt infixam invaſionem, poſſint quocunque *Emetico* eradicari; aut quaſi humores viſcidi ventriculo adhærentes nullâ machinâ debiliore, quàm *Antimonio*, poſſint ejici vel depelli à tenaci amplexu. In tantâ corporis inflammatione, nè niſus vomendi fortiores ulteriùs corpus incendant, videtur *Cardui* veriùs *Benedicti* decoctum multò tutioris eſſe usûs. *Oxymel Scilliticum* humores in ventriculo tenaces adhuc magis incidit, & expulſioni aptos ac idoneos reddit. Sed maximè radix *Epicacuannæ*, ſi modò citrà inſulſam ſeri poſſetici aut ejuſmodi ingurgitationem ſumatur, humores ventriculi viſcidos præ aliis attenuat, tutóque exantlat vomitione, neque vires ab eâ nimis dejiciuntur. Verùm *Antimonialia*, utpotè fortiſſima *Emetica*, robur ægrotantis inſigne requirunt, ad operationem validam ſuſtinendam, debileſque naturâ, & morbo ſive Aſthmatico, Peripneumonico ſive alio Inflammatorio debilitatos, è medio ſæpè & quamprimùm tollunt. Et notandum, his *Emeticis*, ſcilicet *Benedictis* à malo numine, promiſcuè exhibitis, tàm *hyeme* vomitioni contrariâ, quàm *æſtate* eiſdem favente, támque in poſtremo Febrium ſtatu, cùm vires de-

ficiunt quàm in principio, cùm vires conſtant, id evenire, ut *antimonium* rectiſſimè dicatur *Triumphans*, utpotè *mille* hominibus, ſed illis non tàm hoſtibus quàm amicis, curæ ſalutari concreditis, ab illo facilè jugulatis aut ſuffocatis. Etenim ſi tempeſtate *frigidâ* & impropriâ ſint propinata, non raro *ſanguis* ex ore eructabitur, vires citò exhaurientur, *Convulſiones* deindè contorquent, & tandem anima ipſa miſerè efflatur.

Dolendum eſt Medicos non paucos, tàm claros & illuſtres, quàm mediocriter doctos, *Chymicis Paradoxis* ſive *Arcanis* olim nimis faviſſe, illos fortè ſpe benefaciendi, hos quæſtûs ſtudio, & abundè lucrandi inani ſpe ſeductos. *Duces* illis præcipui fuerunt, *Paracelſus*, doctus ſimul ac temulentus, atque *Helmontius* veſanus aut horridè iracundus, uterque *Arcanorum* mirandorum artifices. Hi duces audaciſſimi aliis *credulis* vitam pæne immortalem, aliis *avaris* aureos montes ſunt polliciti. Sed *Paracelſus*, qui plures centenos annos, vi *Arcanorum* ſuorum diſcipulis ſuis affirmabat, 48 annum, vel potius 37 annum, ſecundùm *Carolum Patinum*, ipſe non excedebat. Neque *Helmontius* admodùm conſenuit, ſcripta ſua *Paradoxa* pro theſauro pretioſiori *Mercurio* ſuo legans. Neque profectò *immortalis liquor Alkaheſt* ætatem ejus diu produxit, aut *Archæum* ita corroboravit, ut in ſenectute provectâ vitam clauderet; cùm Principes noſtri præclariſſimi *Hippocrates* &

Galenus, quos omni autoritate iniquiſſimè ſpoliare voluit, ſine *Arcanorum Chymicorum* ope ad ſummam ætatem, & ultrà annum centeſimum, ſecundùm Artem illorum utiliſſimam, pervenirent.

Sanè *Emetica* ſat propriè videntur indicari, & maximè requiri uſurpanda in principio *Variolarum*, ad Ventriculum ſublevandum, & humores vitioſos facilé commodéque ejiciendos. Sed *Emetica* ſint lenia, mitia, temperata, quæ leniter auxiliantur naturæ conatibus, qualia fuerunt ferè *Syrmaiſmi* veterum Medicorum; nunquam ſint in hoc morbo fortia, vehementia, violenta, quæ conturbant corpus inflammatum, quæ ampliùs incendunt, quæ nixus vomendi nimis intendunt, quæ naturam horridè perturbant, & ſursùm ad *Caput* humores inflammatos attrahunt, atque eâ ratione incendium febrile reduplicant aut triplicant.

Nec modò in exordio *Febris Varioloſæ Vomitus* laceſſit, undè *Emetica* indicantur; ſed & in principio aliarum *Febrium acutarum* par eorundem eſt ratio. Nimirùm in aliis ſic ſe res habet: Pænè omnes *Febres Continuæ*, præter ſymptomaticas quæ à variis ſcil. cauſis pendentes originem ſuam ducunt, aut à *Frigore ſuſcepto* oriuntur, quod tranſpirationem humorum ſuperfluorum naturalem prohibet & occludit, illoſque intrò repellit; quæ quidem eorum præternatura-

lis

lis repercuſſio offendit viſcera, & imprimis *ventriculum* perturbat. Itaque *ventriculus* in functionibus perturbatus, & gravi humorum ſuperfluorum ſarcinâ onuſtus, iſtos *Vomitu* expellere ocyùs nititur. Sed tenacitas ſive viſciditas illorum, calore febrili, æſtu nimio atque efferveſcentiâ facilè aucta & confirmata, efficit ut nequeant ſponte ſatis exturbari, niſi *Ars Medica* ſubſidium opportunum ferat, & vi liquefaciendi ac diſſolvendi exantlandis illis opituletur.

Aut etiam *Febres* oriuntur, à *Conſtitutione aeris* intemperatâ. Etenim cùm corpora noſtra, infirmitate aliquâ prædiſpoſita, inſalubrem aerem attrahunt & inſpirant, neque afflatûs vitioſi contaminationi reſiſtere ampliùs poſſunt, tunc thorax ferè primùm, & præcordia graviter laborant, & tunc *Ventriculus* facilè *compatitur*, infenſosque redditos humores nauſeâ & *Vomitu* conatur excutere. Et tunc Medicus, ſi tempeſtivè acceſſitur, optimè auxiliabitur *Emeticum tutum* commodumque exhibendo. Aut denique oriuntur *Febres Continuæ* à *Crapulâ* aut ingurgitatione nimiâ, vel incongruâ cibi & potûs, quo in caſu, aut aquâ tepidâ ſecundùm veteres, aut *Epicacuannâ* juxtà recentiores, *vomendum* ritè videbitur.

Quanquam igitur *Emetica* mitiora videantur auxilia maximè neceſſaria, in principio *Variolarum*, & ſæpè ſola tunc ſufficiant ſine aliis

aliis Evacuationibus, eaque Naturæ ipſius, ducis prudentiſſimi, motus præcipuè indicantes ſequantur; tamen quia *Variolæ* ſunt morbus *Inflammatorius*, & præ aliis partium Inflammationibus eſt univerſalis, *venæſectio* etiam videtur conſiderationem noſtram mereri. Et prorsùs exiſtimo, ut in viris præſertim adultis, athleticis, & temperamento ſanguineo donatis, ſæpè erit neceſſarium venam tundere in *brachio*: Ità in mulieribus profluvio menſtruo obnoxiis, ubi indicatur Venæſectio, *Saphænæ* ſectionem illis utiliorem & tutiorem, quàm venarum quarumcunque ſuperiorum, cum commodè fieri illa poſſit, & ſine frigoris ſuſcipiendi metu, plures ob rationes; quia ſcil. *Revulſionem* commodam facit à partibus Principibus inflammatis ad maximè diſtantiſſimas, & à *Capite* Variolis multùm obſeſſo deorsùm inſigniter detrahit; quia *muliebrem fluxum* in eo morbo ſalutarem non ſupprimit & retardat, ut ſolet ſectio *Baſilicæ*, ſed potiùs accelerat; & quia *ſuppreſſio* muliebris fluxûs intempeſtiva, ſive fuerit revulſione, ſive medicamentis adverſis eſt omninò periculoſa, & æſtum morbi ingeminat. Quinetiam quia diu credidi, vel obſervavi *Fonticulos* infrà genua inciſione comparatos inter decurſum vaſorum, & juxtà rivulos ſanguinis profluentes, eſſe longè pluris habendos, ad morbos *Capitis* ſublevandos, quàm qui vulgò conficiuntur magiſque incommodè, circà *ſcapulas*, in pomœriis corporis & extrà Vitalium ſocietatem, in *Tergo* duro, & quaſi

callofo

calloſo, verberibus excipiendis quàm Fonticulis magis accommodato; & denique quia *Balneum* pedum in lacte vaccino, juxtà monitum Domini *St. Andrè*, in libro ſuo de *Lumbricis*, *Variolas* mites comparavit, ubi id *Balnei* ſum periclitatus, in principio *Variolarum*, ad *Pulchritudinem* Dominarum venuſtarum conſervandum.

Sed ut denuò in inſtituto procedamus: Quemadmodùm calefacientia medicamenta, quibuſcunque illa nobilitantur appellationibus, in primis diebus *Variolarum* uſque ad tempus maturationis appropinquans ſunt *ſpecificè* perniciosa, ita *Sydenhamus* noſter exiſtimat *Narcotica* illa, Laudanum liquidum & Diacodium in decurſu Confluentium, ſcilicet à ſexto incluſivè, eſſe pharmaca unicè *ſpecifica* aut *quaſi ſpecifica*; *perindè ac Cortex Peruvianus in Febribus Intermittentibus* Fatendum eſt *Narcotica* in tantâ inflammatione, copioſiùs propinata, temperamentis robuſtis, quorum pulſus manet fortis, neque illorum uſu diminutus, eſſe nonnunquam neceſſaria, mirèque perutilia, ſed in corporibus debilibus, melancholicis, atque in obeſis, ut & in perterrefactis, & proximè in hunc morbum à terrore incidentibus, ea opprimere vires, caloremque nativum ſenſim extinguere. Si in uſu *Narcoticorum* Pulſus ex magno fiat parvus, ex forti magis magiſque debilis, certè ea ſuſpecta ſunt habenda, aut repudianda. Quocircà Medici prudentis judicium in nullâ re magis quàm in

in *Narcoticis* rectè vel ſecùs uſurpandis ſpectatur. Cautiones commodæ, de illorum uſu tutiori, quotcunque fuerint, nunquam contemnendæ; ſed regulæ omnes ſtabiles ac generales indiſcriminatim reſpicientes utrumque ſexum, varias ætates, variaque temperamenta, ſunt perquam incertæ ac periculoſæ. Sanè multæ ſunt Fœminæ, quibus tantilla Narcoticorum doſis minimè convenit, & planè noxia eſt, quibus illa vigilias excitant, ſommum fugant, & mente deturbant. Idem etiam nonnunquam de *juvenibus*, & *viris*, perindè ac *pueris* & *ſenibus* dicendum eſt. Valent enim in omnibus Idioſyncraſiæ, quæ non explorantur, niſi curâ adhibitâ, & obſervatione. At verò ubicunque *Narcotica* comperiuntur eſſe nociva, aut à temperamento particulari abhorentia, *Caſtoreum* ſemper, aut ſaltem utplurimùm ſoporem inducet, & requiem nocturnam conciliabit. *Teſtacea* etiam repetita ſpiritus tumultuantes non rarò component, quando *Narcotica* ſunt adverſa.

Cùm Narcotica ſunt contraria, ego ſæpiùs præſcripſi, felici cum ſucceſſu, Caſtorei opt. ℈ß. vel gr. xij. pulveris è chel. Cancr. ſimpl. vel comp. ℈ j. vel. ʒß. confect. Alkermes q. ſ. ut f. Bolus, veſperi exhibendus.

Ut mihi videtur, *Providentia Divina* nobis ſuppeditavit tantam ſylvam *Materiæ Medicæ*, tot ſimplicia vegetabilia, tot mineralia, totque diverſa medicamenta, per totam rerum Naturam,

Naturam, ut ubique ſe offerant diligenti perſcrutatori remedia accommoda ſingulis morbis, omni ætati, omnimodiſque temperamentis, ad ſanitatem reſtituendam, quandocunque ita placet *Rectori* omnium *Optimo Maximo*. Sed inter tàm infinitam copiam auxiliorum Medicinalium, rariſſimè permittitur medicaſtris indoctis, & ignaris, neque ſemper conceſſum eſt doctiſſimis viris, ſeligere & uſurpare maximè propria & ſalutaria medicamenta, ad morbos averruncandos, niſi benignè placeat ſummo omnium directori ac moderatori, qui occultè concurrere dignetur, & *cooperari*, arbitratu ſuo ſapientiſſimo, juxtà meritum vel demeritum morbis laborantium.

Cardo curandi *Variolas* ut plurimùm verſatur, ut priùs concluſum eſt verſari in *principio*, ita maximè in *ultimo* illarum *ſtatu*, cùm Puſtulæ exareſcunt, cùm repentina ſuffocatio impendet à viſcoſis & glutinoſis humoribus, cùm vires labefactatæ, & putredo univerſalis afflatu quodam venenato *Cor* ipſum inficit & invadit; tunc Medici judicium exploratur, peritia ejus perſpicitur, & ſolertia Artis maximè cognoſcitur. Et mihi videtur tantum emolumenti tunc provenire à calidis aut *Cardiacis* medicamentis, quantum periculi ab eiſdem impendebat in *principio Variolarum*. Neque diffiteor me ſub *finem Variolarum* ſæpè propinandum exhibuiſſe *Vinum* tepefactum, ſive *Hiſpanicum*, ſive *Luſitanicum*,

copiâ

copiâ quâdam inuſitatâ, ad vires proſtratas redintegrandas; proſpero cum ſucceſſu.

Attamen nolo perperàm intelligi, ac ſi alios adhortarer, ut me autorem haberent, vel temerè imitarentur, in *vino* magnâ copiâ concedendo *Varioloſis* indiſcriminatim, in ſero morbi progreſſu. Licèt enim ſint occaſiones, ubi tutò & propriè poſſint ejuſmodi exempla comprobari, nihilominùs in teneris naturis, & in deterioribus generibus, maxima cautela eſt adhibenda, tàm in *vino* præbendo copioſiori, quàm in cæteris medicamentis, quæ ſolertia Medica ſolet præclarè excogitare. Diluentia humores viſcidos, calidoſque contemperantia, qualicunque ferè quantitate in hoc morbo exhibentur, rarò ſine fructu, & ſemper dantur ſine diſcrimine. Sed *Narcotica*, & viſciditatem humorum ſuffocativam magis incraſſantia, utcunque ſoporis ſuaviſſimi beneficio nonnunquam feliciter ſuccedant, tamen ſæpè ſunt dubia & incerta, ut quæ ſæpiùs vires diminuunt, & exindè ægrotantes in magnum vitæ diſcrimen præcipitant aut adducunt.

Atqui etiam maximi eſt momenti, inter tantam putrefactionem, alvum tunc difficilem ſolicitare, vel *Enemate* acri & emollienti, vel *Electuarii Lenitivi* ℥ß. aut circiter, ad alvum exonerandam. Eodem tempore meminiſſe oportet, vires ægrotantis à *Lenienti* medicamento tunc facillimè debilitatas, quamprimùm reſtaurare, aut *vino Canarino*, aut aliis *Cardiacis*,

diacis,

diacis, nè ſpiritus penitùs fatiſcant, in ſtatu iſto morbi maximè langueſcenti.

Et nonnunquam *Oxymel Scilliticum* tunc ſummè neceſſarium eſt, ad liquefaciendos humores viſcoſos ſuffocationem interminantes.

Quoniam nunc apud nos maximè invaleſcit novus quidam mos in *Variolis* adhibendi plura *Veſicatoria*, & præſertim amplum inter ſcapulas, circiter nonum ab eruptione, ut & monuit *Sydenhamus*, & quoniam Collega noſter celebris, pariter atque doctus, ſcripto nuper aſſeruit, *Veſicatoria eſſe maximè tutum & expeditum auxilium in variolis æquè ac aliis Febribus, in quocunque habitu corporis*: Ideò vos monere libet, de ultimo *Variolarum* ſtatu, quo ſputatio omnis ſupprimitur, cum reliquiæ humoris priùs effluentis viſcoſiſſimæ ſunt, eaque illius viſciditas ſuffocationem repentinam perpetim interminatur; me nunquam obſervâſſe, *Veſicatoria* tunc fuiſſe tàm *tutum auxilium*; quinimo arbitror tunc illa ſæpe fuiſſe infauſtum atque perniciosſum medicamentum, in *macilento* ſcil. ac retorrido corporis habitu; unde reliquus ille & perexiguus ſuccus, in emaciatis, partim à morbo, partim à temperamento, intempeſtivè exhauritur, & unà vita langueſcens, & vix vitalis, citiſſimè effunditur. In *obeſis* & ſucculentis temperamentis *Veſicantia* tunc temporis adhibita fortè poſſint nonnunquam meliùs ſuccedere, ſed in aridis ac macilentis, ubi magna jam inopia eſt humidi-

tatis,

tatis, certè *Hydragoga* omnia, atque *Epiſpaſtica* pertimeſcenda videntur, atque effugienda.

Ego unum exemplum ſymptomatis graviſſimi in Variolis ſerò & repentè oborti, & quod quidem me paulò magis perterrefecit, vobis proponam, ſed cujus curatio attentiorem veſtram conſiderationem fortè mereri poteſt.

Illuſtris Domina ſexaginta qninque annos nata, *Variolis denſis* unà cum *Tuſſi* vehemente fuit correpta. Poſt Eruptionem confectam mihi primùm inviſere eam contigit. Et ſatis illa in tuto videbatur, uſque ad diem morbi decimum quartum. Sed tunc procella inexpectata eſt exorta. Nè cochleare quidem juſculi, apozematis, aut julapii potuit propinare ſine inſequenti moleſto tuſſiendi paroxyſmo, & per idem tempus horrendam ſanguinis quantitatem, inter tuſſiendum ſemper excreabat. Vox etiam ſua tunc perquam rauca fuit, quæ eatenùs clara permanſerat. Subiit mihi in mentem ſtatim præſcribere Miſturam hujuſmodi Balſamicam, quæ conſtabat è *Balſami Capivi* ℥ß circiter, ſoluti cum vitello ovi, addendo aq. lact. alexit ℔ß. ſyrup. de althæ. ℥j ß. Die proximo tuſſis lenita, dirumque ſanguinis profluvium multùm ſiſtebatur; dieque inſequenti penitùs evanuit. *Tuſſis* etiam prorſus conquieſcebat, & vox ejus clara reddebatur. Interim verebar ſanguinem tunc mittere, nè in tanto ejus diſpendio vires prorsùs ſuccumberent, & verebar nè *raucedo* illinc

pertinaciter confirmaretur. Verùm poſteà, duobus aliis diebus interpoſitis, audacter ſanguinem detrahebam, & deinceps purgationem inſtituebam; & ſic erepta eſt ab omni periculo: *Deo benedicenti* gratiæ debitæ referantur.

De *Morbillis* nullum habeo vobis Commentariolum proponendum, niſi quòd ego obſervaverim in *Morbillis* illis *Epidemicis*, qui non ita pridem apud nos graſſabantur, & qui ſingulis ſeptimanis plus 40 vel 50 ægrotantibus vitam eripiebant, nihil ita affectis meâ ſententiâ majori utilitati tunc fuiſſe, quàm *Gummi Tragacanthum* copioſiùs ſumptum, in Linctu, Decocto Pectorali ſolutum, & pulveribus Teſtaceis mixtum. Id enim Gummi catarrhum maximè leniebat, *Tuſſimque* indè prognatam, ſymptoma *Morbillorum* primarium, ſiſtebat aut levabat, longè meliùs in infantibus & pueris, tutiúſque *Narcoticis*, quantumcunque hæc laudantur eò indiſcriminatim à præclariſſimo *Sydenhamo*, *omni nocte exhibenda ab ipſo Morbillorum inſultu per totum illorum decurſum.*

Sed nolo id de *Morbillis* prætermittere, quòd *Tuſſis* iſta *Morbillorum* Pathognomonica, ſæpè permoleſta, & convulſiva, & nonnunquam lethalis, à *regimine* ipſo omninò pendeat. Nempè ſi in hoc morbo *Cardiaca* quæcunque calefacientia paulò copioſè præbeantur, ſive ſint formâ ſolidiore, ſive ſint

ſpirituoſa, tunc perturbatio ingraveſcit, effloreſcentia debita inhibetur, & *Tuſſis* maximè *exaſperatur*. Quòd ſi regimen illorum fuerit mite ac temperatum, & prorsùs exulent medicamenta omnia ſanguinis inflammationem magis inflammantia, & ſimul abſint *Narcotica* expulſionem cohibentia, *Febris* ipſa erit leviuſcula, *eruptio* regularis, & *Tuſſis* mediocris, mitis, lenis, & quàm facilè ferenda. Adeò ut aſtantes, huic morbo aſſueti, mirabuntur attoniti, quid fiat de *Tuſſi* importunâ *Morbillis* uſitatiſſimâ.

Sæpiſſimè admiratus ſum maximam *Naturæ* Benevolentiam & Bonitatem toti generi humano, in valetudine hominum ſuſtentandâ & reſtituendâ; ſi *Naturæ* conatibus benignis ſapienter cooperemur. Et ſæpè miſeret me contemplari inſcitiam ſtupidam, infelicitatem, & incogitantiam vulgarem, in manifeſto abuſu aut ſupino neglectu, ſummi omnium Bonorum terreſtrium, id eſt, in *ſalute* conſervandâ & recuperandâ: Quam ſanam perfunctoriè projiciunt, tanquam rem nullius momenti, in omni demente conſortio, die nocteque, & ad incertum omnem eventum; & quam læſam vulgò permittunt reſarciendam ardelionibus quibuſlibet imperitis, aut anilibus deliriis. Sed nunc plurimum ſperandum eſt à vobis, *Viri Doctiſſimi*, qui ab erroribus ac præjudiciis communibus eſtis immunes, ut ſera poſteritas, laudabili experientiâ & indagatione hujus ſæculi,

culi, veſtroque illuſtri exemplo, probè inſtructa, valetudinem alienam conſultiùs curet, & tandem *Longævitatem* antiquam ſapientiorum, *Deo* volenti, conſequatur.

DISSERTATIO III.

De Variolis deterioribus præveniendis.

Mar. 10. 1723.

EPISTOLA nuperrima de *Variolis*, à Collegâ noſtro docto celebrique ad alium doctum celebremquè, ornatè conſcripta, me protinùs extimulavit aut excitavit, ut paucis vos impræſentiarum acciperem, Domini Doctiſſimi, de eâdem re *Medicâ*, nimirùm de *Variolarum naturâ* ulteriùs perſcrutandâ, & porrò adhibendâ, pro virili, earundem *Curatione.* Etſi enim priùs, quinque ſcilicet retrò annis, de *Variolis* jam dixerim, tamen nequeo me temperare ab eodem argumento rursùm diſcutiendo, quia *Variolæ*, licet meliùs clariùſque jam ſint illuſtratæ, à præclariſſimo no-

ſtro *Sydenhamo*, aut etiam aliis Medicis doctis, accuratiúſque fuerint jam cognitæ & exploratæ, quàm unquam anteà à majoribus noſtris fuerint uſquam deſcriptæ, tamen neſcio quo malo infortunio, hâc doctâ noſtrâ ætate, & inveſtigationum curioſarum laudabilium pleniſſimâ, plures homines hyeme præterlapsâ, quàm unquam priùs, in hâc urbe ampliſſimâ, medicantibus multis exuberante, ex Variolis, tanquam ex Peſte quâdam interierint, aut deleti fuerint.

Inter tantam Calamitatem, fortè *opprobrium* quoddam Arti & doctrinæ Medicæ, poſt tot ſcripta utilia, & lucubrationes egregias clarorum doctorumque virorum; nobis omnibus Medicinam profitentibus maximè incumbit, anxiè perquirere & diligenter examinare, quænam *Cauſæ fatales* aut exitioſæ tantam apud nos ſtragem populi omnis nuper ediderint; & quibus cautelis, aut quâ Prudentiâ Medicâ, tàm dira urbis auguſtiſſimæ quædam depopulatio, florente interim Pace ſalutari, in poſterum, ſi *Deo* placet, devitari poſſit. Etenim pernicies tàm generalis nequit ex cæco caſu contigiſſe, ſed certas ſuas *Cauſas Efficientes*, aut *Errores* lamentabiles concomitantes, nec fortè illos ità occultos habuiſſe reperietur. Morbus enim communis, ſæpè Epidemicus, afflatu contagioſo aliis propagatus, omnibuſque Natis quicunque hujus Lucis uſurâ & commodo fruuntur, ſeriùs aut citiùs impendens,

dens, non videtur ex ipsâ ſuâ naturâ poſſe fieri tàm exitialis. *Natura* ſcilicet eſt benigna & inter parentes maximè *Alma Mater*, hominibus humaniſſima, & univerſis animalibus benevola & amica. Neque ea eſt quoquomodo habenda, aliorum omnium animalium *Domino*, dura, noxia, aut tetrica *Noverca.* Miris modis *Natura*, & meatibus imperviis quos nunquam inveſtigavit, nec unquam ope Microſcopiorum exquiſitiſſimorum inveſtigare poſſit diſquiſitio Anatomica, quandoque extricat ægrotantes vel deploratos, à ſuis rerum anguſtiis, ſummiſque difficultatibus; & Medicus doctus ac peritus plerumque præ ſe fert *Naturæ* ſolummodò *ſubminiſtrare*, motibus *Naturæ* variis diligenter attendere, & quò ea cernitur vergere, obſervare & expectare, ut eò meliùs ac feliciùs auxilia ſua Medica infirmis accommodet. Sed non eſt Medici benè docti *Naturam*, velit nolit, imperare, & repugnantem, quocunque vult ipſe, cogere & propellere, aut idioſyncraſias contemnere. Non eſt Medici prudentis adversùs candidam & benignam Dominam tyrannidem exercere, & vi contumaci, importunâ, ac violentâ *Naturæ* dominari, eamque velle ſubjugare ad obſequium ſervile; nè tenera ac mitis vi illatæ & intolerabili ocyſſimè ſuccumbat.

Certè *Gratiæ* noſtræ debentur docto Collegæ noſtro, propter *Epiſtolam* ſuam nuperrimam, de *Variolis* ampliùs *diſtinguendis*, &

præſertim quod inter ea incommoda, ſe reſtrictum jam prementia, non fuerit ille immemor ſalutiferæ ſuæ Societatis, & *Salutis* omnium communis. Et longè abſit à nobis meritorum alienorum extenuatio, aut Exiſtimationis & Dignitatis Medicæ à quocunque alio partæ iniqua diminutio. Quin potiùs omnium benè merentium ſtudia, undecunque diſſeminata, incendamus, & lætè confirmemus.

Ut verò ritè expendamus, quænam ſint veræ Cauſæ *deteriorum Variolarum*, quæ toties homines è medio tollunt, per totum terrarum orbem diſpertitos, & maximè in regione noſtrati, aliis multis temperatiore, conſiderandum eſt, & imprimis obſervandum, *Variolas* omnes eſſe *morbum Inflammatorium*, eaſque eſſe Inflammationem, non *unius* corporis partis, ut ſunt *Pleuritis*, *Angina*, *Eryſipelas*, & qui partium morbi *Febribus* ſuis concomitantibus tamen ſtipantur, quemadmodùm & *Ulcus* aut *Vulnus* cùm Inflammatione corripitur, aut denique *Tumor* alicujus partis Phlegmone conturbatus; ſed eaſdem eſſe *totius corporis*, *totiuſque Sanguinis Inflammationem*, & qualem totius Sanguinis generalem affectionem teſtantur & evincunt *dolores* illi ſævi dorſi & ſyncipitis, prodromi *Variolarum* uſitatiſſimè, magnamque *Sanguinis* ebullitionem, aut ardorem demonſtrantes. Sed & *Abſceſſus* Puſtularum toto corpore exorti, à capite ad calcem, *univerſalem* corporis *Inflammationem* manifeſtò oſtendunt & confirmant. Et

Et precor vos diligenter expendatis, Viri Doctiſſimi, ſi in *Pleuritide*, aut aliâ quâpiam partis corporis ſingularis inſigniore Inflammatione, adhibeatur *Vinum* aliquod potens, aut potus naturæ inebriantis, & quale *Vinum* haberi poſſit *Cardiacum* fortaſsè innocentiſſimum: Expendatis, inquam, quantum nocumentum, & quàm flagrans pernicies, ex grato illo *Cardiaco*, inſulsè propinato proculdubiò continget, in *particulari* minùſque periculosâ *Inflammatione*; & dicatis precor an fuerit probabile, malum levius, minoremque perniciem evenire poſſe ex conflagrantibus medicinis, in *univerſâ* corporis, aut ſanguinis totius *inflammatione*, perperam exhibitis.

Hæc notio hujus morbi vera & perſpicua, nos ducere poteſt, cùm ad claram ac diſtinctam *Cauſarum* illius perniciei *Lethalium* cognitionem, tùm ad morbum ipſum reddendum Salutarem, aut frequentiùs Curandum. Priores Medici, qui ante ſæculum præſens ſuis ſcriptis inclaruerunt, quoniam rudem quandam & perturbatam *Variolarum* & *Morbillorum* perceptionem habuerunt, de utroque morbo in eodem capite plerúmque diſſeruerunt, ac ſi perexigua aut nulla inter illos eſſet differentia; & porrò claſſi inauſpicatæ Morborum *Malignorum* unanimi conſenſu *Variolas* in genere annumerârunt. Iſtud vero *Malignitatis* figmentum aut confugium non tàm innixum na-

turæ ſimplici *Variolarum*, quàm ex *erroribus* variis præſertim ante illarum eruptionem prognatum, homini pubeſcenti & accreſcenti paulò comparemus. Nimirùm homo primam ſuam ætatem, ſivè pueritiam, naturaliter tranſigit ſummâ cum innocentiâ, & vulgò inſtruitur, aut inſtrui debet, ad horrorem vel formidinem mendacii, furti, fraudulentiæ, aliorumque criminum manifeſtorum. Ille Cera tunc eſt mollis, faciléque flexibilis, ad bonum & malum, juxtà inſtitutionem ſuam, ac primam diſciplinam. Et unum fructum permanentem ac laudabilem honeſtæ *Puerorum* inſtitutionis ego aliquoties obſervavi, quòd ità rectè inſtituti ab ineunte eorum ætate, ſi fortè poſteà degeneraverint in deteriores mores, raròaut nunquam evadunt tàm ſceleſti & profligati ut iſti quorum teneri anni non fuerant exculti ad virtutem & probitatem. Sed *Pueri* primùm innocentes, progreſſu temporis corrupti, honeſtoque omni renunciantes, ſæpè hominem deponunt, & paulatim degenerant in ferinos mores, luporum ferarumque aliarum. Et in hunc modum *Febres* multæ mites, & multitudo *Variolarum* ſalutarium, ſi in principio prudenter tractentur, modis *Naturæ* congruis & accommodis, facilè profligari, aut benignè terminare ſolent. Quod ſi malè, aut muliebriter tractentur ab initio calidis *Cardiacis*, noxiis & *inflammantibus* medicinis aut potionibus, quæ ex levibus ſæpè ſcintillulis magnam corporis conflagrationem accendunt, ocyſſimè in pejus vergunt,

vergunt, & dicto citiùs degenerant, vel adoleſcunt in *Malignas*, quæ perniciem luctuoſam, nunc paucis, nunc paulò pluribus diebus proculdubiò inferunt.

Sed hic labor, hoc opus eſt, arduum ſcil. opus, & difficillimum, *præjudicia* popularia obfirmata, & clavo trabali depacta unquam *eradicare*. Quippè abſurda multa, populariter tradita, vulgus avidè devorat, fabellis facilè credit, & ab homine doloſo & potenti, rem ſuam profundenti, libentiſſimè ſeducitur, ad perabſurda quæcunque, & rationi diſſentanea. Et hinc fit, quod populus univerſus, ab oriente ad occidentem, à ſæculo altero ad alterum, tamdiu tamque unanimiter *muta* colit *ſimulachra*, neglecto interim *Numine Inviſibili*, niſi à *Socrate* ſapientiori pauciſque olim *Philoſophis*, nimiſque quidem neglecto Omnipotente in his doctis ſæculis recentioribus, ad alia plurima ſatis perſpicacibus. Itaque nil mirum eſt, ſi in curâ ac regimine *Salutis*, populus tàm ſæpè decipiatur, ab impoſtoribus, agyrtis, medicaſtris imperitis, & inconditâ farragine mendacium *Empyricorum*. Et nil mirum, ſi in *Inflammatione Varioloſâ*, & in ipsâ *Inflammatione Peſtilentiali*, omnium ſummâ & maximè perniciosâ, pænè omnes nutriculæ, mulierculæ, medicatrices, ſymbolam ſuam conferant, & quælibet illarum captet occaſionem *facem* ſuam corroborantem inferre, cœpto incendio increſcendo; cùm error

ror iſte popularis altas radices egerit, & undique proſerpſerit.

Quis populo pro *Cardiacis* calidis præjudicato perſuadere unquam poſſit, quantumvis ornatè aut copiosè dicendo, ſive id fuerit *Ratione Medicâ & Experientiâ*, ſive ſit tonando more *Cauſidicali*, ſive interdum *Theologico*; febricitantem ſcilicet & *Variolas* adventuras metuentem, poſſe in diſcrimen aliquod vitæ conjici, ex uſu *vini Canarini croco* imbuti, ex uſu aquæ *Epidemicæ*, Vini, & ſpiritûs Vini? Quis Dominis illuſtribus, malè ſe habentibus, aut bonis mulieribus aſſiſtentium vice fungentibus, valeat perſuadere, ut ea *Cardiaca* recentiorum, vel *Theriaca & Mithridatium* veterum Medicorum, ad *expellandas Variolas* ægrotantibus porrecta, & ad robur languentibus conciliandum, poſſint quoquo modo in ſummum periculum quenquam conjicere? Et tamen multùm dubito, annon è *centum* hominibus hoc morbo pereuntibus, ſi computatio accurata haberi poſſit, non fuerit verum, quod *nonaginta quinque* illorum *Cardiacis calidis* inſulsè propinatis, in primis morbi diebus, interficiantur, ubi *quinque* ex illis cæteri morbi ipſius ſævitiâ naturali, ac truculentiâ animas ſuas efflârunt.

Sed & aliud infortunium deplorandum in hoc caſu videtur maximè invalere. Poſt perditos enim cariſſimos *amicos*, poſt defunctos ex

ex eâ causâ *liberos* dilectiſſimos, nimirùm his incendiis *Cardiacorum*, nemo eſt inter matres indulgentes, aut inter mulierculas benevolas, quæ ſuſpicabitur ſe priùs *errâſſe*, aut quæ in poſterum abſtinebit à *priori errore* in uſum rursùm revocando, ſi alia quæpiam occaſio *Variolas* curandi illis miniſtretur.

Audacter hic verum dicam, vel ſaltem quod verum ſentio, in *Salutem* communem, ita diu perſuaſus, & Experientiâ aliquali ductus, quin potiùs fretus, idque in hâc Urbe frequentiſſimâ, *Variolarum* haud parùm feraci: nimirùm ſi *centum Pueri* in viciniâ *Variolis* corriperentur, & regimini noſtro temperatiori concrederentur, à primâ illorum perturbatione ad poſtremam (ſed quod moleſtiæ nunc ego minimè concupiſcerem, præmio licet amplo allectus) poſſim equidem magnam ſponſionem facere, plùſquam *nonaginta quinque* illorum *centum* incolumes à morbo evaſuros, & ſine *Signorum* fœdorum reliquiis: Eâ interim lege, ut nullus medicinaram diſtributor, niſi accerſitus, illas ædes intraret, cum deleteriis ſuis in hoc morbo *Cardiacis*; utque nulla *Nutricula*, quam vocant, *Perita*, conſilium ſuum ineptum immiſceret, noſtrumque confunderet; eâ etiam lege, ut nullum alium *Doctorem* haberent illi præter *Domeſticum*, & ſimul cum *Teſtaceis* innocuis in promptu habitis, pro re natâ; eâque denique lege, ut miniſtri & aſſiſtentes fideliter imperata

perata peragerent, ſine quâcunque mandatorum mutatione amicâ vel inimicâ.

Et profectò ex erroribus communibus notatis, & longè latéque proſerpentibus, prodit, ut mihi videtur, denſum illud agmen *Variolarum Confluentium*, quæ urbes & familias ita diminuunt, tantamque nonnunquam ſtragem hominum faciunt; & ex eâdem Causâ prodire poſſunt, licet quàm rariſſimè, inter *diſcretas Variolas*, quædam *irregulares*, quas qui amant cudere vel comminiſci nova rebus Nomina, poſſunt appellare, ſi ità libet, *Cryſtallinas*, *Siliquoſas*, *Verrucoſas*, à quâdam ſimilitudine, vel alias adhuc Novas, à piſo, milio, hordeo, aut alio quovis legumine, grano vel ſemine, propriè vel impropriè denominatas. At verò *Philoſophicum* eſt illud, & prudens videtur, *fruſtrà fieri per plura, quod poteſt* denominari *per pauciora*. Quarè nunquam ego favere potui iſtis inconditis & muliebribus *Variolarum* denominationibus, ut *pullariis*, *porcinis*, *perlatis*, & neſcio quibus aliis phantaſticis illarum generibus; contentus ſcilicet differentiis notis & perſpicuis *Variolarum* mitium & periculoſarum, *Diſtinctarum* & *Confluentium*, ſine nimiâ Entium ſuperfluorum, & inani multiplicatione.

Confluentes Variolæ nulli parcunt ætati, ſexui, temperamento, gradui ſive ordini hominum, aut regioni; verùm eâ tantummodò condi-

conditione ſæviunt, ut *Febris* hæc *Inflammatoria*, quæcunque primùm fuit, tractetur ſub initium, ut plerumque ſolet, regimine aut medicamentis calefactoriis, quæ ſubjectis flammis propagent incœptam corporis conflagrationem. Etenim ut de aliis taceam, qualiſcunque fuerint ordinis, vel ætatis, vidi Infantes anniculos, temperamento mitiſſimo præditos, & Variolis detentos, quibus Nutricum fatuarum operâ & maximâ benevolentiâ, facies fuit *Eryſipelatodes*, & quibus *Petechiæ* multæ eﬄoreſcebant, & denique *ſputum ſanguinis* aut *mictus* fataliter accedebat.

Quòd verò ita ſuſpicor, vel ita fert mea ſententia, pœnè omnes *Variolas* periculoſiores naſci ex flagrante illâ Medicinâ primùm adhibitâ, tanquam ardenti quodam *Volcano* paſſim erumpenti, eò magis inducor ut credam, quia contigit hiſtoriam aliquamdiu didiciſſe, quæ plurimùm confirmat ejuſmodi noſtram opinionem. Accepi enim à viris perſpicacibus, qui in *Indiis Occidentalibus* multùm ſunt verſati, *Indos* ſcilicet nativos traditionem apud illos permanentem ſolere narrare, & noſtro propoſito maximè congruam: Nempè nunquam illis cognitas fuiſſe *Variolas* ante adventum *Europæorum* in *Americam*, ante introitum peregrinæ & delicatæ intemperantiæ, & nunquam cognitas dum populus permaneret *Hydropota*, dum *Vina*, dum ſpiritus, liquoreſque inebriantes, illis minimè innoteſcerent.

Et cum hæc ita ſint, quid nobis agendum reſtat ad præveniendas vel ſubmovendas tàm diras Calamitates *Variolis* exoriri ſolitas? Nolo animadvertere de iis quæ nuper ſunt diſceptata, utinam paulò tranquilliùs, de *Inoculatione*, cùm controverſiis & contentionibus nemo me minùs gaudet. Solummodò dicam, ſimpliciorem illum morem *Turcicum* radendi vel pungendi cuticulam brachii aciculâ, ad eliciendam guttam ſanguinis, & ſtatim loco læſo applicandi tantillum lintei raſi, cum tantillo puris imbuti, idque ſine uſu ſcalpelli, vel phlebotomi, & ſine præparationibus ſupervacaneis, aliis modis operoſioribus debere longè præponi.

De aliis verò rationibus præveniendi, ſi poſſibile ſit, *deteriores* iſtas *Variolas*, animum diu multumque advertens, equidem concludo, nihil eò poſſe conducere, meliùs, utiliùs, & efficaciùs, quàm familias pleraſque magnoperè hortari, ut ſalario quodam modico, & facultatibus accommodo, ſibi retineant *Medicum Domeſticum*, peritum & vicinum, quem citò & blandè compellare poſſint, in ipſis morborum principiis, ante illorum progreſſum, & ante jacturam temporis opportuni, nunquam poſteà revocandi. Et audeo polliceri, & ſi fas ſit *fidem dare*, familias illas quæ tantâ ſapientiâ ſaluti ſuæ proſpicient, nullam habituras cauſam de eâ re pœnitendi, aut iterùm

exop-

exoptaturas reditum cujuſcunque cum *Julapiis* ſuis *Cardiacis*, ad inopiam peritiæ corrigendam, & locum ſupplendum Medici Ordinarii.

Et propterea gaudeant gentes, ſive dicantur Barbaræ, ſive ſint Civiles, in quibuſcunque illorum Medici *primam* apud ægrotos *autoritatem* tenent; ubi principiis morborum citò accerſuntur, antequam fiant ancipites, aut imperitorum operâ ingraveſcant; ubi Medici ſunt *ſui juris*, & nullo nexu obligantur vili alicui dominatui ſerviliter obtemperare; ubi audent honeſtè præſcribere in ſalutem ægrotantium, parvi pendentes ſuum commodum, vel quæſtum alienum: Et lætentur illæ familiæ, quæ à *Medico* candido, perito, & amico, auxilium ſalutare & tempeſtivum ſolent ferre, & non ſequuntur occæcatæ ſeductores cæcutientes.

DISSERTATIO IV.

De Aquæ *aliquot uſibus Medicis.*

Mar. 1. 1719.

INTER omnes Artes quas ſtuduerunt excolere, variis olim ſæculis, viri præſtantiſſimo ingenio præditi, nulla utilior, nulla præclarior, nulla in altam excellentiæ ſuæ admirationem rapere omnes debet, ut illa Ars quam nos hîc profitemur. *Subjectum* enim hujus eſt ipſum humanum corpus animatum, quod aut ſanum conſervare, aut millies mille modis debilitatum & langueſcens, ad ſanitatem reſtituere *Ars Medica* ſtudiosè nititur. Cùm aliæ omnes Artes verſantur in rebus longè inferioribus, aut ſcilicet in domo extruendâ, aut ſupellectile accommodandâ, aut in mercimoniis negotiandis, aut in agro colendo, aut rebus ſimilibus multò minoris momenti. Etenim *Medicina*, Ars illa longa, multis nominibus difficilis, & undequaque ſe exporrigens,

gens, totum orbem perluſtrat, omnem regionem perſcrutatur, per omnem montem, ſylvam, convallem lætè progreditur, omnem herbam ſolet contemplari, & penetralia terræ abſcondita intimiùs rimari; ut ſcilicet optima exploret medicamenta, in uſum, ſolamen & beneficium ægrotantium. Sed inter tot, támque innumera medicamenta *Simplicia*, quæ nobis ſuppetunt, nihil communius, nihil fortè majoris momenti, & tamen nihil ferè negligentiùs, præteritur aut pro vili habetur, *Aquâ Simplici*; neque facultates & excellentia ejus, quantumvis fuerit vulgaris, nonnúllis ſatìs innoteſcunt. Volui igitur aliquando de hâc re ita communi, ita undique diffusâ, pauca vobis habere; quæ etſi *Bacchi* cultoribus non poterint eſſe admodùm grata, neque ità grata ut Vini laudationes, tamen *Hippocratis* diſcipulis, & ſapientibus *Temperantiæ* Doctoribus, non poſſunt nimis improbari.

Sæpiſſimè admiratus ſum immenſam Bonitatem *Providentiæ Divinæ*, quæ tantâ copiâ ſuppeditavit toti generi humano, æquè ac aliis univerſis animalibus, tàm inexhauſtum potulentorum flumen, ad ſitim extinguendam, pariter atque promptuarium locupletiſſimum victûs ſalubris ad vitam ſuſtentandam. Vix centeſima pars eſt hominum, ut modicè dicam, quácunque patet terra, qui alio vulgò potu, quàm *aquâ*, ſeſe reficiunt; & rara eſt eiſdem inopia, quantumlibet egenis vel barbaris, dulciſſimi lactis, butyri ſalubris, panis aliqualis, oryzæ, ovorum, olerum & radicum, &

ſimilium. Neque vel illis penuria eſt digna querimoniâ, propter defectum cæparum, allii, aut porri, ad fovendam & indulgendam naturam, cùm calor internus frigidis opprimitur.

Quinetiam populis Orientalibus, aliiſque *Aſiaticis* vicinioribus, parvo viventibus, haudquaquam deeſt *Aromatum* competens copia, & præſertim *Piperis nigri*, quo, quandocunque convenit, victum ſuum vilem, aut vulgarem, ad libitum illi condiunt; æquè ac alii ſæpè ſolent, qui rebus neceſſariis magìs abundant, ſed quibus *Vinum* lege interdicitur.

Benigniſſimè ſuppeditavit generi humano *Bonitas Divina* tantam copiam *Piperis Nigri*, omnium Aromatum ſaluberrimi, utcunque calor ejus intenſus vulgò à Medicis ipſis vitio vertitur; eademque Bonitas omni cultu digniſſima eſt, quæ tantam *Aquæ Frigidæ* affluentiam undique diſpertivit, non modò ad *Sitim* animalium omnium reſtinguendam, ſed & *Ventriculos* hominum æſtuantes contemperandos. Dixi *Piper Nigrum* Aromatum ſaluberrimum, quia *Indi* ipſi ſic vulgò ſentiunt, qui Aromatis nativi ſalubritatis videntur habendi maximè idonei judices, & quia ipſi nullo alio Aromate, præterquam *Pipere*, victum ſuum condire ſolent; & quia tanti æſtimatur, támque ſalutare apud *Indos* habetur *Piper Nigrum*, ut *Febribus* correpti unum aut alterum cochleare ejuſdem deglutire non reformidant, ad *Febres* ſuas profligandas. Sed &

multùm apud me valet autoritas *Ætii*, inſignis autoris, qui dicit in Tetrab. 3. Serm. 1. cap. 14. *Siquis ventriculo humidiori affectus, aut frigidâ ejuſdem intemperie, omni horâ Pipere utatur, nullum exinde nocumentum experietur.* Quod quidem *Senibus* præſertim notandum eſt, quorum ventriculi ac temperies ſunt frigidiores, & humoribus excrementitiis, æquè ac fauces, redundant.

Huic *Aquæ* potui, & ſobrio atque illiberali victui, & priuſquam Ars Coquinaria è Luxu ſumptuoſo eſſet prognata, partim debebatur Longævitas *Patriarcharum* ante Diluvium; & hujuſmodi Diætæ modicæ non immeritò referri poteſt Gigantea illa corporum antiquorum moles, jamdudùm formidabilis. Et ad hanc cauſam efficientem, nimirùm ſobriam vivendi rationem, unà cum aëre campeſtri puro, jure referre poſſumus miram illam Longævitatem, ſæculo præterito, ruſticani noſtratis *Parri*, qui poſt centeſimum ætatis annum Pœnitentiam agebat publicam, pro comprimendâ, & imprægnandâ, ut aiunt, ancillâ; qui uxorem ducebat anno centeſimo viceſimo, quæ lepidè percontata diffiteri non potuit, illum ſecum rem habuiſſe, bonorum more maritorum; & qui tandem Regi *Carolo* primo ſpectandus exhibebatur ab Illuſtriſſimo Comite *Arondelio*, cùm jam compleverat centeſimum quinquageſimum ſecundum ætatis annum, novem menſibus demùm numero adjectis.

Videtis, Auditores Conſultiſſimi, quanti momenti ſit Temperantia, doctrina illa perpetua Medicorum Sapientum, ad Senectutem aſſequendam. Videtis quantò præſtat Aqua Vino, victus tenuior ſumptuoſo, ſi Senilem ætatem, Senilem ſapientiam unquam conſequi velitis. Natura eſt omnibus Mater clemens & benigna, non Pellex fraudulenta, non tetrica Noverca. Et quamvis omnia noſtra bona, omne momentum vitæ producendæ primariò debemus Numini Opt. Max. & Providentiæ ejus beneficentiſſimæ; tamen Dominus noſter Omnipotens vitam & mortem, ſalutem & valetudinem adverſam, res proſperas & calamitoſas, ob oculos ſemper nobis propoſuit, ut eligamus utrum volumus; ut vel tramiti virtutis & Prudentiæ anguſto inſiſtentes, ſanè, benè, diúque vivamus; aut viâ patulâ incedentes, & luxûs atque libidinis irritamentis implicati, vitam brevem, infelicem, vel morbidam, ſi ita nobis placet, miſerè traducamus. Et ſæpè ſuſpicatus ſum, vix unum hominem inter quamplurimos morientes, mortem ſuam præmaturam ritè tribuere debere *Naturæ inclementiæ*, & ſtaminibus nativis malis, ſed omnes ferè perire ex *erroribus* admiſſis in ſex rebus non-naturalibus, multos ex ſympoſiis nocturnis, neque minimam illorum partem blandiſſimæ *Veneri*, totos ſe dedentes, molliculam vitam celeriter immolare.

Oracula

Oracula illa Medica, *Hippocrates* in libro de Aëre, Aquâ & Locis, & *Galenus* commentariis ſuis in illum librum, ſatìs amplè dixerunt de Aquis ſalubribus & inſalubribus. Sed quotuſquiſque neſcit aquas ſtagnantes & paludoſas eſſe minùs ſalutares aquis fontanis & profluentibus Uterque Principum ſapienter docet, ſanos non oportere imprudentibus ſcrupulis angi in electione unius aquæ præ aliis potandæ; ſed licere ſanis bibere de iſtâ aquâ quæcunque adeſt. Verùm miror aliquantùm, quamobrem tanti Principes exiſtimârint aquas ſalſas conſtringere, non ſolvere alvum; niſi iſtæ intelligantur minore quâpiam portione hauriri; cùm noſtræ ſalſæ ſunt admodùm catharticæ, & cùm tanta apud nos fama percrebuit, de ſale cathartico amaro, & ſale mirabili Glauberi tàm exploratè Cathartico.

Quinetiam compertum eſt, aquas illas ex quibus conficiunt cereviſiam vulgarem, in oppidis juxtà littus marinum ſitis, iſtamque cereviſiam non ſolere alvum conſtringere, ſed Diarrhœam permoleſtam ſæpè ciere, pluribus indigenis, & maximè hominibus alienis; quatenùs aqua ſalſa vel marina, per meatus ſubterraneos, vicinis omnibus fontibus ſe communicat & illabitur.

Aquæ Fluminum in genere videntur valdè ſalutares. Et benè nôrunt cereviſiarii noſtri Aquam *Thameſis* coctam efficere cereviſiam

omnium optimam, & quæ poteſt transferri, præ cæteris aliis, in ſuo ſtatu primaria, ad *Indias* ita longinquas. Undè nequaquam capio, cur aqua *Sequanæ*, ſive fluvii *Lutetiam Pariſiorum* alluentis, à docto noſtro *Liſtero*, ut cauſa illis *Calculi* tàm frequentis culpatur, cùm vina illorum tenuiſſima, ſed guſtui gratiſſima, ſint petrificationis iſtius cauſa multò magìs probabilis. Tam de Fontibus quidem Petrificantibus aliquando legimus, quàm de Venenatis, & in *Plinio* de *Miraculoſis*, ſic dictis, ſed nunquam de fluminibus magnis tali culpâ vitiatis, aut tali prodigio donatis. Et reverà quò majus fuerit flumen, tantò aqua ejus ſemper ſalubrior. Undè Magnus ille *Chinæ* Imperator, de nullâ aliâ aquâ ſolitus eſt bibere, niſi quæ deſumpta eſt ex alveo *Gangis* ampliſſimo, quæ camelorum dorſo ſibi longè circumferebatur, & quam ſaluberrimam *Gangis* aquam, nobis advectam, ego *Londini* deguſtavi, quæ paulò aſſimilis videbatur vino albo tenui *Pariſiorum*, aquâ ſcilicet diluto. Nonnè igitur illius aquæ ſalutaris potationi aliquantùm tribuere poſſumus longævitatem illam admirandam Imperatoris *Aurenzebe*, qui centenos annos exegiſſe, aut exceſſiſſe dicitur? Verùm nihil uſpiam audimus de cruciatibus *Arthritidis* & *Calculi*, ubi deſunt vina, aut ſunt inſueta, populique ſunt *Hydropotæ*, & ſimplici Orizæ victu vulgò nutriuntur. Et notum eſt *Pariſiis* non modò juniores, ſed & octagenarios, Medicoſque ipſos ſeneſcentes, quantumcunque *Galeni*

doctrinâ

doctrinâ claros, nonnunquam *Calculo veſicæ* excruciari, ipſamque ejus exectionem pati, ſi clariſſimo illorum *Guidoni Patino* fuerit fidendum.

De *Calculo* ſpeciatim dicam; nihil, quod ſcio, magis præſervare à *Calculo generando*, quàm hauſtus aquæ ſalubris unus aut alter matutinus jejunè propinatus, niſi quòd & hauſtulus ejuſdem ante decubitum in eundem finem conducere videatur. Et in multis *Calculo Renum* obnoxiis quibus Aqua adverſa eſt, magis conducere poſſint duo hauſtus matutini *Hydromelitis* Extemporanei, quàm *Aquæ Frigidæ*. Sed hauſtus illi matutini debent majores eſſe vel minores, pro ratione tempeſtatis vernalis & æſtivæ, aut humidæ & hyemalis; aut pro ratione temperamentorum. Etenim cùm concretiones & obſtructiones ſolent comparari à viſciditate humorum præternaturali, quæ ſecretiones humorum ſuperfluorum prohibet; & cùm decubitus corporis nocturnus, ſtagnationi humorum favens, eapropter illorum viſcoſitati adaugendæ, ac deindè calori increſcendo, proclives reddit: Quæ diluunt, aut incidunt viſcidos humores, ſive in ventriculo ſtabulantes, ſive in renibus aut aliis partibus congeſtos, ea maximè reſolvendis, & ſubmovendis, vel præveniendis ejuſmodi concretionibus videntur accommodari.

Incidentia & attenuantia medicamenta ſunt omnia *Calida*, excepto Hordeo, eâque ratione

conveniunt calidis temperamentis. Sed in Frigidioribus temperamentis, in quibus abundant lenti, craſſi viſcidique humores, Incidentia & Attenuantia ſunt usûs præſtantiſſimi. Et obſervatione noſtrâ maximè dignum eſt, quod *Galenus* tradit, cap. 1. libri de Attenuante victûs ratione: Ubi dicit, *Solo victu attenuanti morbos pleroſque Chronicos, abſque ullis medicamentis, tolli ſolere; & ſe vidiſſe non paucas Arthritides Nodoſas eâ ratione mitiores redditas; Aſthmaticos pleroſque ità ſanitati reſtitutos ut aut prorsùs revaleſcerent, aut paroxyſmi illos longè rariùs, leviùſque affligerent.* Item *magnos Lienis tumores Hepatiſque Schirrhos eâ colliquatos. Epilepſias etiam mitiores, & incipientes, eâdem ratione penitùs ſanatas, inveteratas porrò fuiſſe non mediocriter allevatas.* Attenuantia verò alimenta copioſiùs explicat *Galenus* capitibus ſubſequentibus ejuſdem libri. Et *Ætius* ea omnia ſuccinctè complectitur Serm. 2. Tetrab. 1. capite 240. Sin autem judicarem Incidentia Medicamenta fore in uſum ducenda, præſervandæ ſanitatis gratiâ, ego *Acetum Scilliticum* ſaccharo, vel melle edulcatum, aliis longè anteponerem, quia nullas, ut aiunt, obſtructiones in corpore ſinit accumulari, & nullas concretiones permittit ubicunque indureſcere; & quia omnes coagulationes incipientes ſenſim diſſolvit, ventrem modicè laxat, urinamque movet. Dicitur ſcribere *Pythagoras* hoc ſaluberrimum medicamentum fuiſſe in uſu omnibus ſui temporis

Imperatoribus; & quicunque conſueſceret illo uti, longam duceret vitam, & confirmatam ſanitatem obtineret. Ipſe verò *Pythagoras*, conſenſu omnium *Princeps Philoſophorum*, idemque Medicus excellens, quantum Philoſophia ſua dilectiſſima permitteret, teſtante *Diogene Laertio:* Hic, inquam, ſagaciſſimus *Pythagoras*, qui primus omnium Philoſophorum res naturales perſcrutantium, tellurem eſſe rotundam exiſtimabat, *Aceto Scillitico incepit uti, anno ætatis ſuæ quinquageſimo, eoque medicamento fortiter communitus integram ſanitatem conſervabat, uſque ad centeſimum decimum ſeptimum annum, nullâ interim adverſâ valetudine tentatus.* Hæc de *Aceto Scillitico*, & de *Pythagorâ* eo utente conſcripſit, aut dicitur conſcripſiſſe *Galenus*, in libro tertio de medicamentis facilè parabilibus. Et ipſe ibidem affirmat, *ſeipſum ejuſdem medicamenti periculum in ſe feciſſe, atque firmam ac conſtantem valetudinem illius vi ſalutari cuſtodiviſſe.* Quinetiam dicit, *ſi manè parùm ſorbeas id genus Aceti, ſine Aſthmate, ſine Cardialgiâ, ſine oris affectibus, ſine oculorum hebetudine, vel aurium, ſine raucedine vives, & ſine quocunque ſecretionum delicto.* An vera ſint hæc tanta, tamque tumida promiſſa, nequaquam in me recipio; eaque ſubdolè eſſe aſcripta *Galeno* potiùs ſuſpicarer; idque præſertim, cùm affirmat *Voluptuarium* intemperatum poſſe eodem medicamento immunem a morbis conſervari. Sed facile eſt cuilibet experiri

cochleare

cochleare ejus unum aut alterum quolibet manè, & poſteà pauliſper deambulare. Neque calor *Scillæ* omninò metuendus eſt, utpotè aceti frigore aliquali domitus, aut contemperatus.

Veruntamen quia inflammationibus, calidiſque affectibus noſtri populi ſunt multoties obnoxii, à carnium tanto eſu, vinique & ſpirituum conſuetâ perpotatione; *Aqua Frigida* manè pota, quatenùs calorem decubitu nocturno obortum delinit, caloremque compotationum veſpertinarum multùm compeſcit, compluribus bibonibus videtur propria, maximéque poſſe conducere. Etenim illa potenter diluit viſcidos humores, emollit, fluxileſque reddit, & calefactos ſuaviter refrigerat. Neque alienum erit à ſtudio ſalutis conſervandæ, ſiquis etiam hauſtum *Aquæ Frigidæ* ſub decubitum bibere conſueſcat. Et quia *Aquam Frigidam* tantò laudare placuit, narrationem ſummè memorabilem, quæ plùs omnibus ſpeculationibus confirmat noſtram ſententiam, vobis jam exponam.

Bartholomæus Moles, Medicus *Hiſpanicus*, in Speculo ſuo Sanitatis, ſive libro de Sanitate tuendâ, qui *Salmanticæ* imprimebatur in anno 1545. in octavo, tradit *Balantem*, Regem totius *Aſſyriæ*, totiuſque ferè *Aſiæ* minoris, Regem tàm potentem, tàmque opulentum, ut alter *Alexander* nuncuparetur, hunc, inquam, Regem Medicos complures celeberrimos,

leberrimos, è *Græciâ*, *Indiâ*, *Mediâ*, aliiſque regionibus, ad Aulam ſuam convocâſſe, ut deliberarent, vel conſultarent, quo pacto ſe ſanum conſervare poſſit, & prorsùs immunem à morbis tutari, *ſine* quâcunque *ope Medicorum aut Medicamentorum.* Quinetiam amplum illis præmium magnificè pollicebatur, ſi quod ſibi tale Prophylaſticum communicarent. *Sanages*, Medicus *Græcus*, qui electus eſt illorum *Orator*, ſtatim à *Rege* petiit triduum de eâ re deliberandi; quo demùm finito, omnes illi viri Boni, Medicique præclari, coràm *Rege* comparuerunt, & *Sanages*, medicinæ peritiſſimus, ſimul ac facundiſſimus, ſagaciter prolocutus eſt, duos hauſtus *Aquæ Frigidæ* manè à jejunante propinatos, aut *quolibet manè ſumere aquam bis pleno ore*, ut autor hic ſeſe exprimit, velle *Regis* ſanitatem, præ aliis omnibus, tueri incolumem. Quod Conſilium ſalutare nobis ſummè notandum eſt. Sed intelligendum eſt dari, eâ omninò ratione, quòd mediocrem parcimoniam cibi & potûs quiſpiam obſervaret, quod prudenter interim viveret, non enormiter, non intemperanter. Verùm hic Rex Magnificus *Balas*, ſive *Alexander* cognominatus, fuit humili genere prognatus, ut nonnunquam emergunt è tenuiſſimâ conditione *Magnanimitas*, Excellentia, Prudentia, Doctrina & Scientia præclariſſima, maxima Fortunæ ornamenta, omnis denique Philoſophia, ad Virtutem & Induſtriam in omnibus excitandam; ſed poſtquam propter rationes Politicas publicaretur
eſſe

eſſe Filius *Antiochi Epiphanis*, diriſſimi iſtius *Judæorum* hoſtis, adversùs *Demetrium Aſſyriorum* Regem, & filium *Seleuci Philopatoris*, ſed virum turpem & inertem, otiosè & ebriosè tempus abſumentem, in arce quatuor turribus communitâ, quam condidit *propè Antiochiam*, ibique perpotationibus confectum & enervatum; & poſtquam iniquæ *Alexandri* ambitioni faveret *Senatus Romanus*, & tandem conjungeretur copiis Regum Confœderatorum, *Demetrium* profligavit, prœlioque interfecit, & ſic ſe collocavit in Imperio *Syriaco*.

Non hic poſſum non maximè admirari ſpectatam integritatem hujus *Conſultationis* tàm numeroſæ, quàm candida fuerit, quámque libera ab omni fraude, techniſque doloſis. Neque minùs admirari convenit Majorum noſtrorum Sapientiam, præclaramque probitatem, qui *Statuta* noſtra *Moralia* primùm condiderunt, in quibus regulæ *Conſultandi* prudentiſſimæ nobis ſanciuntur, cum omni urbanitate & æquitate invicem agendi, & quibus *Statutis* æquiſſimis nos omnes *Fidem* ſolenniter *damus*.

Denique pace veſtrâ dicam, meipſum, licet jam ſeneſcentem, talem *aquæ matutinum potum*, non ſine quopiam fructu, ut fortè videatur, aliquamdiu in uſum duxiſſe. Et in gratiam *Studioſorum*, quibus *Exercitium* corporis maximè convenit ad robur conciliandum

delaſ-

delaſſatis ſtudio viribus, libet etiam narrare, me paulò poſt *aquæ* matutinos hauſtus, ſolere manibus ſuſcipere, quando vacat, duo plumba longula, utrumque ſex vel ſeptem librarum ponderis, & panno laneo tecta, quorum partes extremæ ſunt medio majores, ad illa meliùs tutiúſque retinenda, & ea plumba me ſæpenumerò ſursùm attollere ſolere, quamdiu placet exercere. *Quod* quidem *exercitium* non modò partes vitales præ aliis corroborat, ſed & functionibus tàm naturalibus quàm vitalibus ritè obeundis videtur ſummè conducere. Sed detis veniam, quòd poſt tantam præceptionem priùs recenſitam, ego exemplum ſplendidius, magiſque hortativum doctiſſimis Medicis non proponam. Neque enim hæc, neque alia quævis conſuetudo laudabilis, neque ipſum *Exercitium*, ſummum illud Prophylacticum, vitæ producendæ, & ſanitati conſervandæ quicquam conducet, niſi conjungatur *Prudentia*, vivendi regimen & *Temperantia*, quicquid contrà placuit autori prænominato, cùm *Acetum Scilliticum* laudaret.

Res eſt notatione noſtrâ digna, quòd *Hydropotæ* apud nos quidam magno verſentur errore. Sive enim vanitate ducti, ſive phantaſticâ aliquâ pervicaciâ occæcati, nolunt ullum alium potum niſi aquam bibere, quæcunque illis fuerit ratio, vel neceſſitas. Hoc verò perperam faciunt & abſurdè. Etenim Temperamenta noſtra ſæpè alternantur, ut ſolent tempeſtates anni immutari. Nunc una quali-

tatum

tatum temperies prædominatur, nunc alia valet. Fluxus eſt quidam & refluxus valetudinis, in teneris præſertim corporibus, non prorsùs abſimilis menſibus periodicis in fœmineo ſexu. Et certum eſt, *Vinum* moderatè ſumptum, ſæpè *Hydropotis*, pariter atque aliis, veſperi velle convenire, ut aqua ipſa pænè ſemper utilis eſt manè. Neque minùs certum eſt, frigidos morbos pluribus metuendos, æquè ac aliis calidos. Quarè nimis conſtantium illorum *Hydropotarum*, aut pervicacium, miſereri oportet, qui non intelligunt, ſe in regione vivere, ubi tempeſtates variantur mirâ & frequente viciſſitudine; neque conſiderant ſe in *Inſulâ* maximè *Fortunatâ* vitam ducere, ubi nec nimis diuturnæ incaleſcentiæ vires noſtras labefactant, neque immodici rigores corpora nimis tremefaciunt; ubi nulla eſt inopia rerum omnium commodarum, quæ toto orbe diſperguntur; ubi nunquam convenit nimis rigidus vivendi modus, neque pertinax tenuitas potûs, vel cibi parcimonia, robuſtis noſtris indigenis conſentanea eſt, aut infimæ plebeculæ uſitata; ubi denique *multi perturbantur ægritudine libertatum, neque pauci ſuccumbunt crapulæ felicitatum.*

De *Aquæ Frigidæ* potu in *Febribus*, periculoſum eſt uberiùs dicere, nè in malam partem dicta vertantur, & nè fortè quempiam perducamus in errores extimeſcendos. Quæ *Romæ*, quæ ad meridiem poſſunt nonnunquam convenire, ea *Londini*, & in Boreâ, diſ-

criminis

criminis ſæpè plena. Et miror *Lommium*, inter *Batavos* toties pingues & phlegmaticos medicinam facientem, ita audacter conſulere copioſam *Frigidæ* ingurgitationem, in *Statu* ſive achme *Febrium Acutarum.* Niſi verò hoc fuiſſet *Experimentum Periculoſum*, aut in ipsâ adminiſtratione, aut in regione quâ in uſum abiit, certè *Lommius* de curandis *Febribus Continuis* priùs revivixiſſet, & è tenebris ſuis erupiſſet, pænè ducentos annos occultè latitans, ante ſera hæc noſtra tempora quæ Cœlum & Terram Aquamque ita diligenter explorant; cùm Typographia interim quaquaversùm occupata fuerit, & minoribus occaſiunculis quàm *Febribus* curandis continuè vacaret.

Multæ *Febrium* noſtrarum in *Sudores* facilè labuntur ſpontaneos, quos Sudores reprimere, & *Frigidâ* repentè cohibere, foret valdè perniciosum. Multæ noſtrarum *Febrium* vehemente ſtipantur Tuſſi, & quas *Peripneumonias Nothas* nunc vulgò appellamus, in quibus ſanè *Frigida* nocent, & nequaquam ſunt uſurpanda. In teneris naturis, in ventriculo debili, & macilento corporis habitu, *Frigidæ* potus, juxtà *Lomium*, planè noxius. Neque etiam in frigidis & phlegmaticis temperamentis *Frigida* febricitantibus epota magis tuta eſt, ut facillimè apparet. Et neſcio an in quocunque alio remedio, inter æſtûs febrilis agitationem ſeriam, an in *Opii* ipſius uſu cautela major fuerit adhibenda. Quinimò ſi prudentia Medici, judicium

diciumque conſummatum unquam requirantur, ea videtur maximè neceſſaria inter conſulendam *Frigidæ* potionem, in *Febribus Synochis* noſtris curandis: dico, in ſtatu illarum poſtremo, ancipiti, & incertiſſimo. Illud effatum *Hippocratis*, in hoc caſu, plurimiſque aliis, ſæpiſſimè ruminandum eſt: Ἀσκεῖν περὶ τὰ νοσήματα, δύο· ὠφελεῖν, ἢ μὴ βλάπτειν. Duo ſunt præ oculis Medico ſemper habenda; primùm, quantum poterit, ægris prodeſſe, deindè cavere ne inconſideratè illis noceat.

Si in *Febribus Acutis* ego auderem conſulere *Aquæ Frigidæ* potum, id conſilii noſtris darem, non in *Statu* illarum dubio, ſed in *principio*, aut primâ circiter die febricitandi, & quo tempore *ſudores*, calorem contemperantibus ſæpè facilè eliciuntur; & cùm tàm citò copioſè profunduntur, & permittuntur ſatis diu profluere, raro ceſſant febrem quamprimùm profligare, & extinguere; utpotè Febre tunc debili & non confirmatâ, viribuſque corporis tunc validè conſtantibus, ad reſiſtendum æſtui febrili. Sed *Aqua* illa ſit potiùs *cocta*, bibaturque aut frigefacta aut tepefacta.

Neque in ipſis *Variolis* incipientibus nimis ſuſpicarer *Frigidæ* potum, utpotè toto genere contrariæ incendentibus omnibus perniciosiſque medicamentis. Imò haudquaquam dubitarem poſt aliquot experientias, *Variolas* mites ac benignas fore deindè ſubſecuturas, ſi primum

ardorem

ardorem iſtius intenſæ *Inflammationis* ſic contemperarem.

Neque eſt hîc prorsùs prætereundum, quod *Dioſcorides* tradit in libro de Deleteriis Pharmacis ſive Venenis, capite ultimo; ψυχρὸν ὕδωρ ἀθρόον ποθὲν, &c. quòd *Aqua Frigida* confertim ac ſine interſpiratione bibita, præſertim à curſu, aut alio exercitio corpus plurimùm excalfacienti, ſtrangulatus doloreſque maximè inflammatorios infert. Quot *Pleuritides* huic cauſæ ritè debemus? Quot malos, imò peſſimos corporis habitus, quos vulgò appellant *Surfeits?* Et ipſe novi in *Flandriâ* milites nonnullos, cùm ad fontem *Aquæ Frigidæ* advenerint, & æſtuantes de eo biberint avidè & copioſiùs, inter æſtivam profectionem militarem, intrà horas aliquot exanimatos concidiſſe, & ſtrangulatos periiſſe.

Prudentiſſimè igitur agunt populi *Indiæ Orientalis* meridionales, in calidioribus illis regionibus degentes, Sudoribuſque pænè perpetuis diffluentes, qui *Aquam* ipſam *tepefactam*, non *Frigidam*, omnemque alium potum ſimiliter tepefactum, bibere ſolent. Itaque concludamus cum Poetâ egregiè Philoſophico: *Nullum numen abeſt, ſi ſit Prudentia*, & maximè in rebus dubiis aut periculoſis.

Hæc fortè plùs ſatìs de *Aquâ Frigidâ.*

DISSERTATIO V.

De Vini uſibus Medicis & Chirurgicis.

Mar. 20. 1722.

DIXI Prælectione priore de *Aquæ* Communis multiplici beneficio, & quantum ea fuerit Salutis Præſervativum, ſi commodè bibatur, ac tempeſtivè. Et quò ſimplicius id fuerit, & parabilius omnibus Remedium, eò magis eidem favere dignabuntur Medici, qui reverà ſunt ſtudioſi Sanitatis conſervandæ, & ſummæ hominum Felicitatis amplificandæ. Humanitas enim, inſtitutio præclara, & ratio officii, urgent & incitant præſertim Medicos ſemper præbere ſe facilè propitios hominibus miſeris, qui multis animi corporiſque incommodis, graviſſimis morbis, & calamitatibus pænè perpetuò obnoxii, longè acerbiùs & frequentiùs iſtis malis perturbarentur, niſi *Ars Medica Divina*, nunquam ſatis extollenda, illos variè afflictos ope ſuâ ſalutari ſublevaret, ſolicitudines reficeret, morbiſque graviter jacentes ſublevaret. Etſi enim opes ingentes, copia rerum benè vivendo neceſſariarum, ami-

ci, liberi, regio temperata, libertas, honorum ſplendor, multáque alia valdè exoptata poſſint multùm conducere *Felicitati* qualicunque adipiſcendæ; tamen ſine *Sanitate* corporis, aut conſervatâ aut reſtitutâ, omnia hæc fugacia & caduca viro doloribus excruciato, utcunque Splendoribus priùs intumuiſſet, facilè vileſcent, & ſordebunt.

Nunc libet *Vinum* conſiderare, alterum Nobile Remedium, *Aquâ* longè *Nobilius*, ſi non fuerit & nonnunquam *Utilius*; atque uſibus pluribus *Chirurgicis* maximè congruum, uſibus *Medicis* compluribus ſummè auxiliare. Sua enim laus Medica utrique illorum auxiliorum jure merito debetur.

Ut vetus dictum, verumque fuit *Thaletis*, primi illius *Græci*, qui *Sapiens* nominabatur, & primi è ſeptem illis Sapientibus coætaneis, & adhuc celebratis: Nimirùm omnia *ex Aquâ fieri*, ſive ἀρχὴν τῶν πάντων ὕδωρ; & planè conſtat recentioribus noſtris Philoſophis omne nutrimentum ab *Aquâ* ſuppeditari univerſis animantibus, plantis, & arboribus: Ita *Vinum* eſt admirabile, & Divinum quoddam auxilium, hominibus dicatum, quod multis illorum occaſionibus ſupplebit, ubi vis & potentia *Aquæ* optimæ deficiunt, invalidæ ſunt & imperfectæ. *Vinum*, inquam, hominibus dicatum, ut temperatè ſumptum mordaces omnes curas, dirasque ſolicitudines animo excuteret, intervalla illorum ætatis relaxationibus & hi-

laritati nonnunquam darentur, vitam ſuavem meliùs degerent, & Genio interdum indulgerent.

Sed quid ego dixerim de *Thalete*, aliiſque *Græcis* illis Sapientibus, qui *Ciceronis* ſententiâ *non ſuo, ſed omnium populorum ſuffragio, ſic nominati ſunt*, cùm noſtro ſæculo ſcientiori, *Dicta* illorum *ſapientia*, toties, tàmque diu in Scholis bonarum literarum celebrata, jam quotidiè antecellantur, inter colloquia menſalia Ingenioſorum exhilaratorum; cùm *Patres* venerabiles, *Principeſque Medicinæ* illuſtres, nunc adeò evileſcunt, ut *Opera* illorum præclariſſima videantur abjicienda, inſtar inutilis ponderis, in ſuperiora domûs cœnacula, & in futurum habenda ſint inter farraginem projectam vetuſtarum Bibliothecarum; cùm *Hippocrates* ipſe, *Hippocrates Magnus*, memoriæ Immortalis, tot ſæculorum admiratio, & quoddam *Oraculum Medicum*, nunc etiam vileſcit, & nullo numero habetur, ejuſque opera hactenùs tam præclara, nunc cenſentur vix digna, quæ typis ampliùs excudantur, aut legi unquam mereantur; cùm denique *Aphoriſmi* ejus, *Sacrum* hactenùs opus, & imprimis præclarum, ſummæ *Sapientiæ*, pariter atque *Experientiæ* fideliſſimæ fundatum; opus denique dictum Πολυθρύλλητον & Πολυθαύμαστον, h. e. opus præclariſſimum, undique concelebratum, & maximè admirabile, quod paucis & breviter univerſam Medicinam habebatur complecti; hoc, inquam, Enchiridium, paſſim

paſſim Nobilitatum, jam tranſiit ſcurriliter in Collectionem inanem trivialium & contemptibilium Obſervationum, & modò tranſmutatur opus tam ſerium, quod maximè mirum eſt, in librum *Jocorum* & facetiarum ?

Diſcimus tandem, eâdem operâ, Medicinam veterem, *Græcam* & *Romanam*, fuiſſe infantilem, & in teneris ſuis crepundiis, noſtrâ verò ætate maturam, adultam, ac virilem ; ſed ſatìs conſtat *Scientiam* veterum Medicorum admirabilem, ſapientem, & vix imitabilem, nimirùm vires omnium undiquaque rerum, diligentiſſimè perſcrutantem, *nullum* nunc vulgò *habere Inimicum*, *præter Ignorantem*, & in ſcriptis illorum clariſſimis nunquam, vel *minimè* verſatum.

Improprium nunc eſſet, & ſupervacaneum, differentias *Vinorum* multiplices recenſere, cùm tot ferè ſint *Vinorum* genera, quot regiones latè patent, à *Gadibus* ad *Gangem*, quot diſperguntur Provinciæ in eiſdem, quot genera *Terrarum* in eâdem regione aut provinciâ, quot denique Climatum varietates. Sed percommodum eſt, multiſque populis feliciter cecidit, quòd propria ſua cuique *Vina*, indigenæ incrementi, præ aliis peregrinis tam vulgò perplaceant. Et æquum eſt, quemcunque populum eâ ſorte fore contentum, quam ſingulis tribuit, plena benignitatis Naturalis Providentia. In *Hollandiâ* olim audivi, ut rem eximiam, vinum *Rhenanum*, illis vicinum, ſed optimum ſui generis,

eſſe febribus quandam *Panacæam*, idemque croco vel coccinellâ tinctum, vel ſucco *Braſſicæ rubræ*, quò meliùs celetur, haberi mirum *Arcanum*, in ipſis *Febribus* curandis, ſi calidiuſculum propinetur. Et quod *Arcanum* à Medico docto *Delphenſi* Ancillæ ſuæ joculariter communicatum, in *Febrifugum* admirabile à Circulatore iſti Ancillæ conjuncto poſtea convertebatur. In *Italiâ* ubi naſcuntur *Vina* delicatiſſima, ubi Vinum *Falernum*, de Monte *Fiaſcone*, *Lacrymæ Chriſti*, ortum ſuum præclarè habent, ſiquando *Itali* voluerint quenquam ut vitam ſuam in longum producturum verbis cohoneſtare, vulgò dicent, ille nequit non ad ſummam ſuam ætatem pervenire, quia de *tali Vino*, de optimo tali *Vino* ſolet conſtanter bibere.

Sed quid ego loquor de *Vinis* aut Vinetis, per tot terras ubique & uberrimè diffuſis, quaſi Providentia Divina *Vinum* & *Aquam* æquè perutilia ac neceſſaria judicaret, conſervandæ valetudini totius generis Humani? Quid pluribus agerem de *Vino* ſincero, hâc noſtrâ ætate iniquiſſimâ, fraudulentâ & adulterinâ, cùm ipſum *Vinum Canarinum*, paucis aliis cedens, ſi purum exhibeatur, nunc temporis apud Nos, id *Vinum* Nobiliſſimum perditè amantes non ità pridem præ omnibus aliis populis, paſſim conficitur, ſpiritum aliquem ignobilem, non *ſpiritum Vini*, immiſcendo dulciori *Hydromeliti* uvis paſſulis præparato: Ut vix centeſima, fortè ducenteſima *Vini* pars

pro *Canarino* habiti, ſit nunc *Vinum* verum *Canarinum*, ſed vicem ejus præſtet mellita iſta adulteratio. Et aiunt ejuſmodi adulterationem nunc invalere in plurimis partibus *Germaniæ*. Sed ibi impoſtura paulò meliùs ſe habet, utpotè *Spiritu Vini*, pervilis apud illos pretii, ſemper confiсta.

Circiter trigintà annos jam præterlapſos *Vinum Gallicum* potens ac genuinum, aliaque ſimiliter *Vina*, in pleriſque noſtris Oenopoliis mediocri pretio vendebantur; ſed poſtquam magnum vectigal *Vinis* illis importatis ab *Ordinibus Regni* exigeretur, & pretium illorum indè magis intenderetur, ab illo tempore impoſturæ, adulterationes & inventiones variæ *Vinorum ſuppoſititiorum* pro genuinis apud nos turpiter invaluerunt, & Ars Cauponariæ laudabilis nimis ſæpè tranſiit in Artem occultam, tenebricoſam, & deleteriam. Nullum verò *Vinum* a veteratoribus callidis faciliùs effingitur, nullum *Vinum*, ut artis eſt, compoſitum, quæſtui venditorum lucroſo magis conducit, quàm *Vinum Gallicum*, maximè ſociale *Vinum*, & compotores invitans, ideòque nullum videtur frequentiùs apud nos corrumpi & aſſimulari quàm *Vinum Gallicum*. Ab epoche illius Vectigalis impoſiti dolium cum *Aquâ Vitæ* tenuiſſimâ repletum incepit à cauponibus denominari **low Wines**, & *Pomaceum* ab illis tractatum eò referri debet. Ab eo tempore vafra quædam fœmina, & fortè Myſteriis iſtis cauponiis amicè initiata, cùm *Bacchus* & *Ve-*

nus perpetuam amicitiam undique contraxerint, *benevolè* voluit, ſi liberet, dolium vini *Gallici* in uſum domeſticum conficere, pro 20 ſolidis, cùm genuinum conſtaret circiter bis totidem libris monetæ *Anglicæ*, ſcilicet proponens, ut memini, id maximè componere, ex paſſulis, prunis ſylveſtribus, & ſucco baccarum Sambuci. Nihil verò tunc audivi de *Arſenico.*

Sed relictis his fraudibus iniquis, *Vino* ipſo tam Nobili, tamque copiosè ſuppeditato, prorsùs indignis, convertamus nos jucundiùs ad ſtudiosè contemplandam *Vini meraci* Excellentiam Medicam.

Itaque *Vinum* modicè ſobriéque bibitum, eſt ſummum medicamentum corpori debilitato reſtituendo, animoque exhilarando, quandocunque curis acerbis diſcruciatur; &, ut paucis multa complectar, eſt ventriculo languenti, faſtidioſo, cruditatibus ſqualenti, & illuvie humorum perperàm oblinito, peculialiter dicatum. Et cùm *Ventriculus* malè affectus morborum internorum pænè omnium ſit parens, & maximè Chronicorum; & cùm rariſſimè *Febris Continua* quempiam corripiat, quin citò compatiatur ſenſitivus *Ventriculus*, ut Nauſea ejus & *Vomitus* demonſtrant concomitantes: quantis laudibus & quàm eximiis meretur *Vinum* celebrari, quod *Ventriculo* imprimis accommodatur, quod Concoctionem adjuvat tàm Senum ætate fractam & languentem, quàm juvenum variis erroribus immi-

imminutam & labantem, quod omnem mœſtitiam ex animo delet, quod ſanos & incolumes à morbis diutiſſimè conſervat, & ſæpiùs quibuſcunque aliis deploratos tandem reſtituit? Quæ omnia velim intelligi, ſi prudenter & mediocriter ſumatur *Vinum*, non intemperanter, ſi eodem ritè utamur, & non abutamur. Intemperatos ſolummodò monebo: *Immodicis brevis eſt ætas, & rara Senectus.*

" Sed ô beatam *Temperantiam!* Nunquam " ſatis laudandam, nunquam ſatis admiran- " dam! Quæ conſervas homines quoſcunque " in plenâ ſtabilique fruitione & exercitio " facultatis Rationalis, & in manifeſtâ recog- " nitione *Divinæ* animorum *Originis!* Quæ " reddis homines idoneos Societati tam *An-* " *gelorum*, quàm defunctorum Sapientum! " Te perpetuò comitantur *Sanitas* & *Hila-* " *ritas*, vultu placido & juvenili, grato & " amabili. Te *Opes* competentes ſæpiſſimè " ſequuntur, ſed ſæpiùs Te comitatur *Opi-* " *bus* omnibus longè præſtantior, confirmata " *Salus*. Te *Fortitudo*, *Juſtitia*, *Pruden-* " *tia*, *Comitas*, cæteræque omnes Virtutes " vinculo quodam facili colligatæ vel conſo- " ciatæ ſubſequuntur. Te *Vinum* & *Aqua* " lætè concomitantur, non cum poculis majo- " ribus, aut *Herculeis*, duodecim librarum " vel laborum, non cum aureis, aut gem- " matis, ſed cum vulgaribus, modicis, ac " minoribus poculis, ſingulorum tempera- " mento prudenter accommodatis. Tibi *A-*

qua

" *qua* ſalubris bis vel ter ſeſe porrigens bi-
" bendam tempore præſertim matutino; tibi
" *Vinum* ſincerum, impermiſtum, & inteme-
" ratum, & *Ne quid nimis* clarè clamitans,
" temporibus veſpertinis proximè vel propiùs
" accedit. Denique Tu rectà deducis Tui
" cultores ad longam, & jucundam, morbis
" immunem, & perturbationum expertem
" *Senectutem*; & poſt vitam hanc fragilem
" placidè, & ſine doloribus finitam, Tu
" leniter illos traducis ad vitam immortalem
" & Gloriam ſempiternam: Per *Gratiam* ſcil.
" *Domini* noſtri Clementiſſimi, omnibus ſo-
" briè benéque vitam degentibus, benignè do-
" natam, quicquid contrà obſtrepunt amaru-
" lenti, Zelo fervidiori & inhumano occæca-
" ti.

Aſclepiades, Medicus ſingularis, celebriſque, Populo *Romano* fuit gratiſſimus, & propè *Divinus* vir habitus, & quaſi Cœlo delapſus (ut quo tempore Simulacra & res plures à Jove viſæ ſunt delabi) eò quod populum curare pænè ſine Medicamentis, & cum *Vino* tempeſtivè exhibito, cum Exercitationibus idoneis, & cum victu congruo, liberare ab omnibus ſuis morbis præ ſe ferret; ea ſcilicet remedia, ſive propria vivendi ratio, illi habebantur pænè pro omni ſupellectile Medico, & fermè totâ officinâ Pharmaceuticâ. Sed interim *Aſclepiades Venæſectionem* non contemnebat, id auxilii habens potiſſimùm utile, ſi Febris fuerit cum dolore conjuncta, aliàs fore inutile aut

peri-

periculoſum. Ille *Vini utilitatem vix quâcunque aliâ Deorum potentiâ poſſe ſuperari* vel æquiparari, clarè pronunciavit. Magnum illi fuit, & valdè glorioſum, neque minùs temerarium viro docto, inter tot incertitudines fragilitatis humanæ, quòd ſe abdicare medicinam voluerit, ſi fortè in quempiam morbum ipſe incideret; quod etiam verum mirè expertus eſt, donec circà nonageſimum ætatis annum, laudabilem quidem Senectutem, *lapſu ſcalarum*, ut ait *Plinius*, vel potiùs de ſcalis deſcenſurus, præceps delaberetur, & *exanimatus periret*. *Voſſius* exiſtimat, ſed neſcio quâ conjecturâ adductus, aut argumento ſuffultus, quòd metuens *Aſclepiades*, nè ità grandis ætate in morbum aliquem tandem incideret, ſuâ ſponte ſe præcipitem daret, ad Prædictionem ſuam prægrandem verificandam. Porrò autem *Medicamentorum uſum*, inquit *Celſus*, *magnâ ex parte, neque ſine cauſâ, ſuſtulit Aſclepiades, quùm omnia ferè Medicamenta ventriculum lædant, malique ſint ſucci; itaque ille ad ipſius victûs rationem potiùs omnem ſuam curam tranſtulit. Verùm ut illud in pleriſque morbis utilius eſt, ſic multa admodùm corporibus noſtris incidere conſuerunt, quæ ſine medicamentis ad ſanitatem pervenire non poſſunt.* Hæc *Celſus* candidè & prudenter. *Aſclepiadem* verò ſpeciatim veneror, quia primus omnium Medicorum *Galeno* ipſi videbatur, qui probè docuit, *Ulcera* eſſe raró detegenda, & non niſi *tertio quoque* die medicamenta fore illis adhibenda

benda. Dicit Galenus lib. 4. & cap. 4. de Compoſitione Medicamentorum ſecundum Genera, de Medicamentis memoriæ proditis ab *Aſclepiade: Ulcera Chironia* aut curatu difficilia quæ nuncupat maximè *Maligna* & contumacia, inter curandum tertio quoque die eſſe ſolvenda vel detegenda, ac deindè fomentis eſſe mitiganda, *&c.*

De facultatibus Vini loquens *Paulus Ægineta*, juxtà *Galeni* ſententiam, ait, *omne Vinum alit*, & *inſitum calorem* languentem *ſuſcitat, undè & Cruditates corriguntur, ſanguis emendatur*, ipſumque *alimentum, quandoquidem promptè Vinum penetrat, per univerſum corpus deducit: Quam ob rationem ex ægritudine aliquâ Emaciatis, bonum habitum corpori*, vividum aut *floridum colorem vultui reſtituit*, & *appetentiam* abolitam ventriculo *revocat. Ejuſmodi* plurium *beneficiorum*, inquit, *autor eſt Vinum, moderatè bibitum.*

Et ex his rectè conſequitur, quàm digniſſimum ſit veſtrâ ſedulâ conſideratione, & ſtudioſiſſimâ meditatione, ô Medici præclari, quòd tot *Emaciati* ex variis morbis, jam vulgò committantur, tanquam ad Sacram Anchoram, *Lactis Aſinini* potui, & interim *Vinum*, ut res ſuſpecta, illis plurimùm interdicatur, cùm ſputa copioſa, unà cum tuſſi ſæpiùs rejecta, ventriculum illorum labefactari, & colluvie humorum pituitoſorum obrui planè demonſtrent,

ſtrent, & quos humores pituitoſos, in ventriculo fluitantes, *Lac* non diminuit, ſed coacervat. Etenim *Lac* omne, ut ſanis multis convenit, & ſalubre eſt, ita & apud nos præſertim, ſumptuosè ut plurimùm viventes, in frigidis ventriculis facilè aceſcit, & alimentum exindè vitiat & corrumpit, in calidis verò nidorem contrahit, & bilem intendit aut accumulat, ideóque in *Febricitantibus* ſummè noxium videtur & incongruum. Sed Lac ſeroſius, ut *Aſininum*, ventrem etiam facilè ſolvit, eamque ob cauſam multis corpore aut ventriculo debilitatis, multiſque Emaciatis admodùm periculoſum eſſe debet. *Vinum* è contrà generoſum ut totum corpus corroborans, & alimentum coquens, atque partibus univerſis diſtribuens, ut & *ventriculo* debili ac faſtidioſo novas vires addens, & nervis omnibus amicum, ſi modò temperatè ſumatur; quamplurimis horum ita malè ſe habentium magno commodo eſſe poſſit, ſi loco *Lactis* intempeſtivi id obtinuiſſet.

Quid verò de hâc re commodè ſcribit *Mauritius Tirellus* in Hiſtoriâ ſuâ Vini & Febrium, *Venetiis* editâ in 4to. *A. D.* 1630. & in *lib.* 2. *cap.* 23. de Febribus Hecticis curandis? *Vinum per me, Vinum*, inquit, *omnium alimentorum & medicamentorum Hecticis ſaluberrimum, ut jure ſupra Lac & Balneum efferri debeat eminentiſſimum.* In eodem capite *Tirellus* collationem facit inter *Vini & Lactis* facultates, ad *Hecticas* curandas, &

perpenſis utrinque argumentis, palmam facilè adjudicat *Vini* præeminentiæ, & *Lac*, utcunque dulce & admodùm gratum, *Vino* longè poſtponit, in quovis *Hecticæ* ſtatu. Sin autem *Hecticis* & extenuatis modò fuerit periculum magnum, à *Lactis* uſu, & merita ſit ſuſpicio morbi indies ingraveſcendi, à *Lactis* frigiditate nimiâque humiditate, in ventriculis potiſſimùm frigidis & pituïtoſis, ut ſunt plures intabeſcentium ventriculi: Certè prudentes Medici deterrebuntur ab inundando ampliùs *ventriculos pituitoſos Lacteis* incrementis humorum ſuperfluorum, & cruditatum nutritioni adverſantium.

Nonne igitur videntur paulò reprehendendi, quicunque indiſcriminatim *Emaciatos*, ſæpè ex *Luis Venereæ* reliquiis tenaciſſimis, & ſæpè ex *ventriculo* malè affecto, & *crapulâ*, primâ mali origine, amandant ad tenuem ac seroſum iſtum victum *Lactis Aſinini*, & paulatim transferendos ad decumbendum, aëris purioris gratià, in rure vicino, & paulò pòſt, fortè poſtridiè, ad moriendum refocillatos in aëre aprico, ſereno, ac ſalubri. Horum Dominorum ad plures celeriter abeuntium ingentem numerum teſtari poteſt celebratus vicus *Kenſingtoniæ*, aliæque villæ nobis vicinæ, quarum campanæ funebres, funeſtos *Emaciatorum* exitus, cum *Lacte* aſſiduè ingeſto, pro *viatico extremo*, publicè denunciant.

Et cùm tot homines illuſtres, ad *Lacteam Diætam* aeremque ruſticanum relegati, tàm ſæpè in deterius vergant, donec fato fungantur, certè erit operæ pretium, contrariam methodum, & quid *Vinum* valeat, & nonnunquam quid *Guaiacum* & Sarſaparilla & *Æthiops* mineralis noſter valeant, quid Allium coctum, & quid Balneum dulce valeat experiri. Ideòque commodam hanc facultatem habens, liberè dicam, meipſum vidiſſe aliquot homines *macie* contabeſcentes, & periculosè langueſcentes, cum *Tuſſi* vehementer agitatos, aut ſine tuſſi, cum *appetentiâ* ità *dejectâ* ut omne alimentum nutriens averſarentur, adeò ut tantillum carnis ullius tenerioris non poſſent deglutire; eoſdemque ægros affirmo me nonnunquam reſtituiſſe, ad bonum corporis habitum, ad vividum vultûs colorem, ad appetitum ciborum & digeſtionem, & ad integram illorum ſanitatem, idque paucis diebus, ne dicam ullis ſeptimanis, & quod mirum videri poſſit, ſine quibuſcunque medicamentis, ſolummodò illis conſulendo ut *Vinum* ſincerum *Luſitanicum*, idque Rubrum de *Oporto* compararent, atque tres vel quatuor hauſtus ejuſdem *Vini* ſinceri biberent, cum pane comeſto, inter tempus prandendi, totidemque circiter hauſtus ejuſdem *Vini* repeterent, cœnandi tempore; & ex quo conſilio ſalutari, *appetitus* naturalis illis citò rediit, *tuſſis* profligata eſt, abſumpta caro redintegrata, & mirè ac citiſſimè convaluêre.

Videtis,

Videtis, auditores in Medicinâ clari, tot animadverſiones *Medicas* in mentem mihi jam veniſſe, ut eò pauciora, quamvis & ea maximi quidem momenti, adhuc reſtent de *Vini* viribus eximiis in re *Chirurgicâ*.

Et imprimis obſervatione noſtrâ digniſſimum eſt, quòd *Vinum* fotu adhibitum, aut infuſum parti affectæ, eam *refrigeret*, caloremque ejus reſtinguat, quantumcunque id introſumptum corpus ſolet calefacere. Idem etiam dicendum eſt de *Spiritu Vini*, & *Aquâ Vitæ*, quòd omnes illi calidi Spiritus externè adhibiti, non novum calorem afferant, ſed planè liberent à nimio æſtu partem inflammatam. Hanc verò *Vini* facultatem *Refrigerantem* veteres Medici præclari ſilentio fortè prætererunt, præter *Plinium Secundum*, multiplici eruditione clarum, & rerum Naturalium exploratorem ſummum, poſt principem *Dioſcoridem*. *Plinius* ſuam ſententiam ſic tradit: *Vini natura eſt, hauſto accendendi calore viſcera intùs, foris infuſo refrigerandi.* Etſi autem veteres de facultate *Vini Refrigerante* nullam mentionem fecerint, tamen de viribus ejus inſignibus in *Ulceribus*, *Abſceſſibus*, *&* *Inflammationibus* curandis, veteres Medici præclariſſimi neutiquam ſiluerunt. *Hippocrates* librum ſuum de *Ulceribus* ſic exorditur. *Ulcera, quæcunque ea ſint, præterquam Vino madefieri non debent.* Et *Galenus* libro 3°. Methodi, cap. 4to. dicit: *Vinum omnis Ulce-*

ris,

ris, quà Vlcus eſt, optimum eſt medicamentum. Eaque res eſt præcipuæ notæ, *Vinum* haberi à *Galeno Vlcerum optimum medicamentum.* Ut alios taceam, *Dioſcorides* dicit, *Vinum eſſe commodius* aut utilius *Vulneribus, & Inflammationibus, in lanâ ſuccidâ* ſive illotâ *impoſitum.* Et tanto viro *Vinum* internè tantæ fore efficaciæ videbatur, ut pluſquam 50 genera *Vinorum Medicatorum* recenſere non dubitaret.

Ad propoſitum verò *Chirurgicum*, poſſum equidem affirmare, experientiâ aliquali edoctus, lintea *Spiritu Vini* fervefacti imbuta, & ambuſtis partibus ab aquâ bulliente, ab igne, à pulvere Pyrio, vel à pice liquefactâ, adhibita ſæpenumerò, citiùs omnibus aliis medicamentis ambuſta loca ſanare, doloremque excruciantem tollere. Inter alia poſſum ſpecialim teſtari, puerum quinquennem non ita pridem fotu *Spiritûs Vini* citiſſimè ſic ſanatum, in cujus oculi pupillam, partem maximè ſenſilem, fortè illapſa eſt gutta *Picis* liquefactæ, & in medio oculi, in ipsâ ejus acie, cavitatem dimidii piſi magnitudinis effecit; aliumque puerum quinquennem eodem fotu nuperrimè curatum, & citiſſimè curatum, qui adductus mihi fuit *pulvere Pyrio* ignito occæcatus, & quorum uterque viſu privatus, die proximo poſt illum fotum, obtutum oculorum priorem ſine aliis medicamentis recuperavit.

Inſuper affirmo *Vini* calefacti fotum imprimis conducere ſanandis *Vulneribus*, *Ulceribus*, & *Inflammationibus* partium corporis omnium, & præſertim partium maximè ſenſibilium, nervis, tendonibus, aliiſque pluribus vaſis repletarum, ut ſunt læſi digiti manuum & pedum, à puncturis inciſionibuſque, quarum acerbi dolores ſæpè magis magiſque per artus extenduntur, donec extremum periculum *Gangrænæ* inſequentis, *Chirurgiam diram* neceſſariò requirat.

Turcæ, arte noſtrâ *Chirurgicâ* vulgariter deſtituti, niſi fortaſsè inter illos eam quodammodo exerceat *Judæus* vagabundus, ſolent *Vulnera* ſua *Vino* abluere aut fovere, & poſteà illis *Saccharum* inſpergere, laudabili cum ſucceſſu; reliquamque committunt curationem *Deo Omnipotenti* & Pſeudo-prophetæ. Et utinam illis notum eſſet, aliiſque omnibus notum, ut meretur, *Balſamum* illud utile, & admirabile, multis ſplendidis compoſitionibus, quas uſus recepit, longè anteferendum: Nimirùm *Oleum Vino* rubro incoctum leni igne, donec *Oleum* abſorbuerit *Vinum*, aut *Vino* fuerit ſatis imprægnatum.

Adhæc, fotus cum *Spiritu Vini* ſatis diu adhibitus, & nonnunquam iteratus, ardorem *Eryſipelatum* citiùs aliis fotibus extinguit, ſive ſint verè & exquiſitè Cutanea, ſive ſint ſpuriè paulò profundiora, quod hactenùs nimis

latuit

latuit tàm Medicos præclaros, quàm Chirurgos præſtantiores, diuque exercitatos. Idemque ſucceſſus exindè conſequitur, ſi fortè *Epiſpaſtica* in corporibus cacochymis dolores excitent ſæviſſimos, & *Gangrænam* minitentur; ſive dolores fuerint *Eryſipelatodes* in *Vulneribus* aut *Ulceribus*; ſive etiam *Panaritia* malè tractata, cum unguentis & oleoſis noxiis, totum brachium excrucient, uſque ad ipſum humerum, & dolor idem ab humero communicetur ad Cor, & Syncopen efficiat, ex appropinquante *Gangrænâ*, ille fotus debitè adhibitus, ceu potiùs immerſio diuturnior Digiti *Panaritio* vexati, in *Spiritu Vini* calefacti, dolorem ſubitò leniet, periculum ex inſperato avertet, *Ulcuſque* reddet facilè ſanabile.

Potui jam exempla hujuſmodi Curationum afferre, ſi foret neceſſarium, vel tempus id permitteret. Quinetiam idem dici poſſit de fotuum vi eximiâ, cum *Vino rubro* calefacto, cujus operatio ferè conſimilis eſt, ſed modo mitiori, aut debiliori.

Sed vix ſperandum eſt, ut faciles illæ, utiliores, magiſque parabiles Curandi rationes vulgò invaleant apud homines in opibus congerendis unicè verſatos. Felix illud ſæculum, & rarius ac putatur, quo deteriores mores minùs valent, quo *Corruptela lucem timet*, & quo fraudes ac turpitudines non audent impudenter & palam graſſari.

Per me verò floreat & increbreſcat, quicquid Saluti Publicæ tuendæ conducit, & valeat plurimùm *Aquæ* ipſius uſus prudens ad Præſervandum & Curandum ; floreat *Vini* uſus temperatus internè ad morbos internos, externè ad *Vulnera*, *Ulcera*, *Abſceſſus*, *& Inflammationes*, citò, aut potiùs citiſſimè fomentationibus curanda. Vincat Pax & manſuefaciat lenitate ſuâ jucundâ Bellicas furias. Concordia & amicitia, candor & innocentia, apud Togatos floreant, præ amarulentiâ, livore, & inimicitiis; & exoptemus ſaltem, utpotè Liberalibus diſciplinis optimè inſtituti, ut in omnibus *Medicinæ* partitionibus, & maximè in *Chirurgiâ*, creſcat ſemper & invaleat *integritas* præ *aſtutiâ*, & probitas ac benevolentia, præ turpi lucrandi cupiditate, & pro neſcio quibus Hæredibus, dignis an indignis, ſapientibus an ſtultiſſimis, ſiti *Divitiarum* præpoſterâ, inſanâ, & inſatiabili.

DISSER-

DISSERTATIO VI.

De Venæſectione in genere.

Oct. 11. 1722.

V*Enæſectio* meritiſſimè annumeranda eſt inter Primaria auxilia *Medica*, utpotè quæ ſanguinem inflammatum, à liquoribus ſpirituoſis vulgò nimis uſitatis, à plenitudine, à per-
iratione impeditâ, multiſque aliis modis, im-
rimis compeſcit; ideoque diligentem Medi-
orum conſiderationem maximè meretur, ad
orbos quamplurimos propulſandos. Chirur-
i juniores præ aliis omnibus inſtituuntur à
lagiſtris ſuis, in *Phlebotomiâ* dextrè peragen-
, ut commodè citòque illi exequantur man-
ata Medicorum ſolennia, utque ipſi poſteà
eliùs medeantur *Phlegmonibus*, *Abſceſſibus*,
ulneribus, *Ulceribus*, *Fracturis oſſium*, &
uxationibus, cùm ante Medicum accerſun-
r, vel ipſi ſoli petuntur vel poſtulantur ejuſ-
odi Curationibus incumbere.

Itaque ratio, uſus, & emolumentum ſingulare ſanguinem detrahendi, cum cautionibus neceſſariis circà adminiſtrandam *Phlebotomiam*, unà cum morbis in quibus maximè convenit, videntur deliberationem noſtram benè mereri.

Sed primò libet reprehendere illorum Medicorum ſive inſcitiam, ſive pertinaciam, atque inſignem Empyricorum impudentiam, qui *Venæſectionem* in morbis curandis in totum damnant. *Galenus* eruditiſſimus ſcripſit librum adversùs *Eraſiſtratum*, tanti auxilii Medici ſuperbum contemptorem, qui dicitur à *Plinio* fuiſſe *Ariſtotelis* filiâ genitus, & qui ſtolidè auſus eſt ambire ipſum Principatum Medicinæ, Maximo *Hippocrati* juremeritò debitum. Quippè *Eraſiſtratus* in operibus ſuis nè nomen unquam *Venæſectionis* fecit, niſi ſemel in ſanguinis rejectione ; & in quo tàm neceſſario caſu affirmat ſatius eſſe vincire membra taliter affecti, eundemque uti inediâ, quàm venam ſecare. Neque *Eraſiſtratus* ille pertinax à ſententiâ ſuâ ſive præjudicio contrà uſum *Venæſectionis* ullis rationibus dimoveri poſſit : Quandoquidem ſpeculationibus inanibus comminiſcendis ad opinionem ſuam temerè ſuſceptam defendendam ſe totum daret, domique ſe continens ægros ipſos inviſere nequaquam dignaretur. Cùm *Galenus Romam* primùm advenit, plures ibi invenit *Eraſiſtratæos*, ſive ſectatores *Eraſiſtrati*, qui præfractè noluerunt

luerunt *Plenitudine* ſuffocatos à morte libe-rare per *Venæſectionem*; ideoque ſcripſit eti-am libellum adversùs inſulſos iſtos *Eraſiſtra-tæos*. Sed & inſania illa non modò *Galeni* tempore invalebat, verùm & eadem adhuc paſſim nimis invaleſcit. Inter cæteros *Hel-montius* maledicus fremitu acerrimo, & *Cyni-câ* petulantiâ, inſurrexit contrà veterem Me-dicinam; ſibique maximè applaudens, & ſu-percilium attollens, *Philoſophum per ignem* ſe primum dixit, & Sapientiam omnem vete-rem prorsùs contemnens, novam quandam & inauditam Medicinam voluit glorioſè condere. Quarè *Venæſectionem*, tantum veterum Me-dicorum auxilium, noluit in *Febribus*, nè in *Pleuritide* quidem, utilem habere, ſed ut noxiam incuſare. Gloriatur ille nulli ſe *Pleu-ritico* ſanguinem unquam miſiſſe, nimirùm ſtercus equinum, à ruſtico quodam ſibi com-municatum, Arcanis ſuis aliis humiliter, quod mirum eſt, præferens. Utebatur autem ſagax ille ruſticus *ſtercore jumenti* laborioſi pro *viro Pleuritico* curando, & *ſtercore caballi* laſci-vientis ut magis commodo mulieribus. Tanta ſcilicet eſt hominum cerebroſorum infatuatio, ut viliſſima quæque præ melioribus ità magni-faciant, ut vel granum aliquod commune, in-ſtar *Galli* in *Fabulâ*, in ſentinam corporis citò deſcenſurum, Margaritis pretioſiſſimis, vel ri-diculè, vel contumaciter anteponant.

Chinenſes utcunque ingenio præditi, tamen hoc præſidium adversùs morbos ſuos negli-

gunt, & verentur quâcunque ex occaſione ſanguinem detrahere, ſimilitudine quâdam populari capti vel ſeducti. Nimirùm dicunt, aquam in vaſe ebullientem, ad ejus refrigerium obtinendum, non debere quoquomodo exhauriri è vaſe, ſed ignem ſubter vas poſitum debere ſubduci. Sed nequeo aſſequi quomodo *ignis Febrilis* in corpore accenſus, à perſpiratione impeditâ, vel aliis modis, poſſit extingui, auferendo, more præſtigioſo, *Ignem* aliquem *Fatuum*, aut imaginarium & inviſibilem, circà lectulum ægrotantis lepidè circumvolantem. Et notum eſt *Similitudines*, etſi rem propoſitam paulò illuſtrent, non eſſe, nedùm doctis, argumenta. Certum eſt verò, populis *Orientalibus*, victu ſobrio utentibus, orizâ vulgò veſcentibus, & aquam pro Potu bibentibus, vel infuſum Teæ, aut quibus *Vinum* interdicitur, & aër ut plurimùm ſerenus, *Venæſectionem* non eſſe adeò frequenter neceſſariam, ut *Europæis* noſtris, ſumptuosè viventibus, ſæpiùs guloſis, bibonibus, & intemperatis.

Quod attinet ad *Empyricos* inſulſos, Agyrtas fraudulentos, & Fumivendulos, inimicos publicos *Venæſectioni*, & rerum omnium ad benè medendum utiliſſimarum ignaros, non ſunt iſti argumentis ullis expugnandi, ſed à Magiſtratu debito tempore caſtigandi. Quòd ſi illos non licet ut oportet reprimere, gaudeant parumper *Arcanis* ſuis ſive *Stercoraceis*,

ceis, ſive aliàs olidis, donec Magiſtratum dormientem tandem exuſcitent.

Sed præteritis vel contemptis his nebulonibus, contumacibus veritati rerum, ad inſtitutum redeamus. *Phlebotomia* vulgò habetur facillima omnium Operationum *Chirurgicarum*, etſi ſit etiam nonnunquam difficillima. Idiotæ, barbitonſores, imberbes, rudes & imperiti audent tundere venam, & ſæpè non malè ſuccedunt; cùm nonnunquam *Chirurgi* celeberrimi, peritiſſimique, domi foriſque, contingunt delinquere, aut pro Baſilicâ *arteriam* pungendo, aut pro Medianâ *Tendinem* Bicipitis muſculi; in quos duos ſcopulos interdùm impingunt vel peritiores Chirurgi. Etenim ubi venæ ſunt amplæ, & expanduntur in brachio, facillimè quidem aperiuntur, ſed cùm anguſtæ ſunt, & imperceptibiles, ut in quibuſdam carnoſis ac obeſis, tunc res videtur quâvis aleâ periculoſior, prudenteſque Magiſtri à venâ illorum incidendâ abſtinebunt. Sin morbi magnitudo, vireſque ægrotantis, ſanguinis detractionem in talibus neceſſariò poſtulant, *Cucurbitulæ* cum Scarificatione ſcapulis adhibitæ, vel *Hirudines* brachio, aliiſve partibus poſſunt commodè ſupplere *Phlebotomiam* declinatam. *Aneuriſma* enim ex arteriâ ſectâ, aut punctura *Tendinis*, exiſtimationem Chirurgi clari in diſcrimen facilè dejiciet.

Chirurgus

Chirurgus verò, ut *Phlebotomiam* tutiùs & accommodatiùs exequatur, debet eſſe acerrimâ oculorum acie præditus. Quæ quidem conſideratio me olim inhibuit ab experiundâ ſectione venæ, cùm *Pariſiis* ad aliquod tempus tranſigenti, *Gallus* quidam intrepidus, ſed præceps animi, liberam mihi daret facultatem, quamlibet è ſuis venis incidendi, toties quoties, pro tenui mercede nummuli quinque denariorum; & quam occaſionem mihi pulchrè oblatam ego protinùs reſpuebam, quia oculi, inter *Variolas* in Infantiâ contractas, lotionibus impropriis aut refrigerantibus nimis debilitati, non videbantur idonei operationi tantam perſpicacitatem requirenti benè obeundæ.

Similiter *Chirurgus* debet manum, digitoſque accommodos habere: Neque vino eſſe deditus, nè manus tremula fiat. Item ambidexter, ut utrumque brachium, pro re natâ, æquâ facilitate incidat; nam dextrâ manu dextrum brachium, ſiniſtrâ ſiniſtrum, eſt paulò obliquè incidendum. Etenim in omnibus Inflammationibus *rectitudo* partium, in ſanguine detrahendo, eſt ſummoperè obſervanda: Quicquid contrà obſtrepuerunt Medici *Arabici*, aut quicquid volunt reclamare quidam è *Chirurgis* recentioribus, deſuetudinem ſuam vel incapacitatem utendi manu ſiniſtrâ æquè ac dextrâ ità ſubdolè celantes. Ideóque in iſtum finem celandi imperfectam illorum facultatem

venam

venam ſiniſtri brachii ſiniſtrâ manu incidendi, clamitant prædicantque, unà cum doctis quibuſdam Medicis, in eâdem ſententiâ conſentientibus, inventum illud præclariſſimum noſtri Magni *Harveii*, de Circulatione Sanguinis; quaſi ab epochâ illius Inventi, foret adiaphorum, utrùm vena dextri lateris an ſiniſtri, utrùm Baſilica an Cephalica, vel etiam Baſilica an Saphæna ſecaretur; cùm Circuitus Sanguinis, æquè per totum corpus infrà & ſuprà delati, videatur eam ſententiam ritè confirmare. Sed profectò *Experientia* noſtra, ut & omnium priorum ſæculorum, firmiſſimè teſtatur, *Venæſectionem* in ſiniſtro latere, affecti *Pleuritide* ſiniſtrâ, magis compeſcere ingentem illam Inflammationem, quàm quæ fuerit dextro ejus latere celebrata; itemque eadem fidelis *Experientia*, omnibus ratiociniis longè præponenda, evidentiùs & communiùs demonſtrat, *Saphænam* in *Menſibus Suppreſſis* apertam, multò magis fœminis ſublevandis conducere, quàm alia quæcunque *Venæſectio* in partibus corporis umbilico ſuperioribus. Quinimò è diverſo conſtat, ſanguinem è brachio taliter affectarum detractum, loco alicujus commodi illis allati, Suppreſſionem iſtam Menſium magis obfirmare, & obſtructionem corroborare. Et certum eſt regulas ſapientes de *Venæſectione* à veteribus Medicis ſtabilitas, non ſpeculationibus ſubtilibus aut inanibus inniti, ſed potiùs ſtabiliri à *Naturæ* ipſius, & operationum in morbis Naturalium obſervationibus diligentiſſimis.

Et

Et hìc nequeo quin animadvertam, quòd in mulierum morbis ſummè neceſſarium ſit reſpicere ad defectum, vitium, aut irregularitatem *Menſium*, ut Cauſam ſemper *Adjuvantem*, ſi non fuerit Cauſa morbi *Principalis*; & proptereà Curandi rationem eò dirigi debere, niſi fruſtrà & ſine fructu velimus laborare. Sin *Menſes* illarum fuerint immodici, tunc fœminæ id Medico facilè ſignificabunt. Quòd ſi Suppreſſio illa fuerit, ut ſæpiùs ſit, parca & imperfecta, non totalis, verecundia ſexûs eam celabit, niſi Medicus quæſtiunculis propriis prudenter adhibitis à Domeſticâ verum expiſcabitur. Et reverà niſi natura fœminarum perturbata quoquo modo redeat ad naturales ſuas periodos, difficillimum erit in illis vel *Ulcus* benè ſanare, vel *Tumorem* diſſipare, vel *Cachexiam* corrigere. Inter alia remedia hujus Menſium defectûs, non eſt contemnendum *Elixir Proprietatis* dulce, longâ & frigidâ infuſione, atque ſine caloris vi præparatum; & de quâ præparatione, ventriculo omnium gratiſſimâ, Lectores cujuſdam libelli ego multò priùs admonui.

Ad *Phlebotomiam* univerſis, & præſertim Dominis delicatioribus leniùs & gratiùs exequendam, imprimis eſt curandum ut inſtrumenta chirurgica comparentur *acutiſſima* ad venam ſine dolore incidendam. Vix credibile eſt inexpertis, quanta ſit differentia, inter *Venæſectionem* acutiſſimo Phlebotomo

botomo peractam, eamque quæ ſit paulò obtuſiori. Uſqueadeò ut Dominæ meticuloſæ, vultum ſuum à conſpectu operationis avertentes, aliquandò quærent, plagâ inflictâ, an fuerit ea jam abſoluta. Ità levis fuit plaga & inſenſibilis, peracuto Phlebotomo confecta. Ideóque ſi Chirurgus cupiat ſe omnibus opem ſuam poſtulantibus gratum, Dominiſque delicatulis ſe acceptiſſimum reddere, exquiſitiſſimos inſtrumentorum artifices illum oportet exquirere, neque debere cariorem impenſam optimorum inſtrumentorum gravatè ferre.

Aliam cautionem, *Tyronibus* utilem, inter ſecandam venam, libet inculcare; ut ſcilicet Phlebotomo in venam intruſo, eundem retrahentes ſcindant venam ſupernè, inter attollendum; atque eo pacto orificium reddant amplius: Ut ex eo profluat ſanguis paulò uberiori canaliculo, & exindè quantitas ſanguinis à *Medico* præſtituta meliùs extrahatur & emanet. Nunquam verò Chirurgus permittendus eſt, arroganter immutare quantitatem ſanguinis à Medico præſcriptam, niſi id ſit retinendo ejus fluxum, ſi ægrotus appareat pallidior ſolito, & videatur eſſe deliquium paſſurus.

Quantitas Sanguinis emittendi non æſtimanda eſt, tàm copiâ ejus toto corpore diffuſâ, quæ in genere humano ut plurimùm videtur pænè æqualis, ſit ne homo ſanus vel ægrotans, ſive in hâc vel illâ verſetur regione; ſed

potiùs

potiùs juxtà *magnitudinem* Morbi, *vireſque* hominis naturales. Eaque determinanda eſt juxta regiones in quibus agitur, & ſecundùm cibum & potum in diverſis illis regionibus uſitatum. Et profectò in Septentrione ac Meridie, in Oriente temperatiori & Occidente magis intempeſto, judicium determinandi de quantitate ſanguinis detrahendi, æquiùs permittendum eſt *Medicis* illorum doctis, in variis iſtis locis vitam traducentibus, quàm ſpeculationibus, conjecturis, vel pulchræ doctrinæ *Medici* cujuſcunque, quantum libet clari, vel periti, in particulari ac remotâ aliquâ regione continuè verſantis. Ideóque iniquiſſimè judicamus in *Angliâ*, ſi in Medicos alibi medicinam facientes, acriore cenſurâ animadvertamus, quia ſcilicet non metiuntur ſanguinem eliciendum ægris, juxtà modulum nobis congruum vel uſitatum. Et quia Obſervationes Medicorum doctorum de eâ re perindè ac de aliis plurimùm diſcrepant propter locorum & temperamentorum, nunc conſpicuam, nunc abditam differentiam, hinc fit, quòd in regionibus nonnullis, vena meritò incidatur *rariùs*, in aliis æquemeritò *frequentiùs*; & in illis minor ſanguinis quantitas, in his major vulgò detrahatur.

Inter cæteros igitur fontes *Indicationum*, quæ auxilia Medica ſingulis morbis propria indicant, rectè annumeratur à *Galeno*, Mediciſque aliis, ipſa *Regio*, in quâ degunt ægrotantes. Aliæ verò Indicationes ſumuntur ab

affectuum differentiâ, ab ætate, ſexu, temperamento, anni temporibus, & maximè à *Conſuetudine*, Cibi ſcilicet & Potùs, ut & exercitii. Sed ſitus *Regionum* mirè variat & immutat, cùm affectuum naturam, tùm agendorum rationem. Undè prudenter ait *Celſus* lib. 1. de Re Medicâ, *differre pro naturâ locorum genera Medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Galliâ.*

In *Angliâ* ſæpè perutiliter demuntur unciæ duodecim, ad *libram ſanguinis* unâ vice, quia noſtri populi, plùs aliis genio indulgere ſolent; & quia propter copiam rerum gulæ ubique gratificantium, liberè comedunt, liberéque bibunt *Angli*, undè abundat illorum ſanguis, & ſimul incaleſcit. In *Luſitaniâ* & *Hiſpaniâ*, ubi *Veneri* ſpiritus exhaurienti, quam Baccho celeriter nutrienti, vireſque inſtauranti, multò magis indulgetur, ibi tunditur *Saphæna*, ſi Lue Venereâ fuerint vitiati, ſin minùs, *Baſilica* febricitantibus bis in die inciditur ad ℥v. vel vj. quâque vice, donec Febris ceſſaverit. Sed ex eâ conſuetudine nimis permanente malum iſtud aliquandò Mercatoribus noſtris contingit, ſi fortè illic febricitaverint, quòd ſanguis toties illis detractus efficiat eos nonnunquam in omni vitâ, pluſquam nocturnis chartis, *impalleſcere.*

In *Galliâ* frequenter venam ſecant in *Febribus*, & copiâ ſatis amplâ, ſed non toties in die, niſi id rariùs. Neque illi ſanguinem ſine ratione

tione frequentiùs multis aliis ſolent detrahere, ubi ſcilicet aër puriſſimus, victus ſaluberrimus, vinumque illorum totum corpus facilè pervadit, ad nutriendum. Hinc ſpiritus illorum omnium mirè vividi, agiles, levioreſque vulgò fiunt. Sed oligophora illorum Vina *Pariſiis*, & alibi, reddunt populum magis obnoxium *Calculo Renum & Veſicæ*, adeóque *Febribus* proclives, ut quiſquis ibi paulùm modò malè valet, ſiquando interrogetur quomodo ſeſe habeat, ſtatim ſit reſponſurus, *equidem nunc febricito:* Quemadmodùm nos omnes, malè valentes, *frigus ſuſcepiſſe* vulgò conquerimur. *Pariſiis* verò, ubi Vina vulgò bibuntur tenuiora, ſed quàm gratiſſima, *Chirurgi* quoſdam adeunt quolibet menſe, ut calidum illorum ſanguinem, tanquam rem ſtatam & fixam adimant; & quaſi viri illi, perindè ac mulieres, *Menſtruis* ſuis indigerent. Apud *Batavos*, ſitu ſuo inferiores, & fermè Phlegmaticos, minimè omnium Phlebotomo videntur uti, & ſiquando ità audaces fiant, perparcè eo utuntur, aut quodammodò pueriliter. Sed vulgares illorum aliis infenſi redditi, non verentur in plateis cultros ſuos minaces præ aliis telis invicem vibrare. Ibi plures provectâ ætate, & paulò grandævi, poſſunt bellè gloriari, ſe mirè frugi fuiſſe, in patriâ uſitatè frugaliſſimâ; nimirùm ſe ſanguini ſuo ſemper, quamdiu vixerint, ut theſauro inæſtimabili, providè peperciſſe, neque jacturam guttæ ſanguinis à quoquam Chirurgo unquam feciſſe.

In

In *Germaniâ* Nobiliſſimâ, quæ quidem regio multiplex & longè porrecta, atque Commerciorum tranſmarinorum multò inops, niſi à Regionibus marinis fuerit antehac ſuppeditata, non tam copiâ ingentium divitiarum, quàm generis *Nobilitate* intumeſcit, neque comedunt pariter atque bibunt copiosè; neque fortes illi viri timidè verentur aut ſuum aut hoſtilem ſanguinem effundere; ſed ferax *Inventorum* admirabilium populus, & ſummam diſciplinarum laudem conſecutus, *Chymicis* pluribus *Paradoxis*, inanibuſque virorum cerebroſorum promiſſis, videtur nimis fidere & patrocinari. In *Italiâ* ratio exigit, ut prudentiùs venam ſecent, ubi tot Academiæ præclaræ, & Gymnaſia *Medica* effloruerunt, ubi *Padua Docta* diu præ aliis multis caput extulit *Medicum*, ubi *Schola Salerni* honeſtiſſima inclaruit; ubi olim *Galenus* periſſimè medicinam fecit, & æternâ ſuâ cum gloriâ copioſiſſimè ſcripſit; & denique ubi inſigniſſimi Profeſſores, *Fallopius* & *Fabritius ab Aquapendente*, ubi *Hieronymi* illi eximii, *Capivaccius* & *Mercurialis*, ubi *Jo. Bapt. Montanus*, aliique plures eruditiſſimi, ubi *Magatus* & *Septalius*, *Proſper Alpinus*, *Andreas à Cruce*, *Vidus Vidius*, & *Joannes Vigo*, non oblito *Baglivi*, recentiori *Italorum* ornamento, cùm *Medicinam*, tùm *Chirurgiam*, ſummâ cum laude docuerunt.

Sed nos imprimis oportet, & diligentiùs conſiderare, qualis *Venæſectio*, & in quibus

morbis, tàm internis quàm externis, populo præſertim noſtro convenire debet. Quæ quidem diſquiſitio diuturniorem temporis rationem exigit, quàm præſens nunc permittit. Quare in aliam oblatam occaſionem ea quotquot fuerint ſint dimittenda.

DISSERTATIO VII.

De Venæſectione, ut morbis noſtris accommodandâ.

Oct. 8. 1723.

DE inimicis *Venæſectionis* veteribus & novis, à ſuperbo quondam *Eraſiſtrato*, uſque ad recentem *Helmontium*, multò magis *Eraſiſtrato* iracundum & acerbum, & neque minùs illo ſuperbum; de cæteris etiam publicis adverſariis tanto auxilio Medico: Nimirùm ignaris & indoctis, ſtultis & vafris nebulonibus, qualem iſti animadverſionem aut contemptum mereantur, Prælectione priore vobis expoſui. Eodem tempore etiam de pluribus ad *Phlebotomiam* ſpectantibus paulò diſſerui,

diſſerui, & de *Rectitudine* partium ſemper obſervandâ inter *Phlebotomiam* adminiſtrandam. Et tandem perſtrinxi diſpares modos, vel menſuras, ſanguinem detrahendi, in variis *Europæ* regionibus uſitatos; aliis minorem ſanguinis quantitatem, aliis majorem auferentibus, aliiſque frequentiùs, aliis rariùs venam ſecantibus. Et porrò reprehendi communem illum errorem iniquâ cenſurâ animadvertendi in alienos modos, peregrè vel alibi uſitatos, mittendi ſanguinis, modò parciùs modò liberaliùs, quàm qui vulgò apud indigenas domi foriſve invaleſcit.

Nunc conſideremus *Venæſectionem*, ut *Morbis* noſtris curandis maximè conducit. Sed antequam illos morbos ſpecialiùs expendamus, videamus paululùm, quanto ſit uſui *Venæſectio* ad morbos quamplurimos prævenendos. Et hic nequeo temperare à ſummâ Admiratione *Providentiæ & Bonitatis Divinæ*, quæ nunquam uſitatè genus humanum morbis gravioribus affligit, quin homines præmoneat *Signis* quibuſdam aut *Præſagiis* periculi adventantis, ut ab omni incommodo imminenti ſe tempeſtivè tueantur ac conſervent. Illis verò *Signis* neglectis aut contemptis, plerúmque citò irruunt torrente quodam violento graviſſimi morbi, in illos ſupinè ſe habentes, parúmque conſideratos. Quod ſi iidem tempeſtivè fuiſſent cauti, & parati ſe defendere adversùs morbos impendentes, ut primùm triſte claſſicum à Naturâ caneretur, &

Signa ægritudinis appropinquantis manifeſtò apparerent, tunc facilè periculum dirum effugiſſent, minimoque negotio à ſubſequenti malo fuiſſent liberati. Et ſæpè animo meo contigit contemplari, quàm *pauci* mortalium *conſeneſcunt*, & quanta illorum multitudo, aut in juventute temerè perit, aut nunquam ſenium attingit, propter ſpreta *prima Signa*, vel *Principia* morborum fientium, & nondum penitùs factorum aut formatorum. Eandem etiam ob rationem ego rariùs virum ſeneſcentem ſpecto, quin conjecturam aliquam favorabilem faciam illum eſſe aut fuiſſe aliquatenùs *Sapientem*, & ex quâ Sapientiâ, cautelâ aut vigilantiâ, exiſtimo illum mirè dèvitâſſe communes illos ſcopulos *Intemperantiæ*, errores in ſanitate tuendâ, vel neglectus improvidos primi impetûs morborum, in quos ſanè *ſcopulos* juniores toties ſolent perditè impingere.

Venæſectionem maximè indicant, *Plethora*, nimia Plenitudo, ſive exuperantia Sanguinis, virium in morbis robur, & magnitudo morborum. Cùm ſanguis inſigniter redundat, audaciores viri temperamento ſuo freti, exiſtimant ad breve aliquod tempus, ſe optimâ ſanitate frui, animos ſuos intrepidè erigunt, omnemque *formidinem* cujuſcunque periculi à ſe aliquamdiu excutiunt; nihilominùs paulatim *Laſſitudo* ſpontanea eos corripit, vires corporis opprimit, onereque ponderoſo eoſdem prægravat, quo tempore ſi *Signum* illud morbi advenientis contemnatur, & *Venæſectio*, aut alia neceſ-

neceſſaria evacuatio negligatur, tunc ſubitò compages corporis horrore concutitur, & malè valens, ſi *Senex* fuerit, in ſummum diſcrimen conjicitur, ſæpéque *Apoplexiâ* aut *Paralyſi* prehenditur; ſi verò junior ſit, & athletico temperamento præditus, tunc ille *principium Febris* ſuæ fermè contemnit, & ipſam *Venæſectionem* tamdiu procraſtinat, donec in extremum diſcrimen ſe præcipitaverit, donec *Pleuritis*, aut alia maxima *Inflammatio*, progreſſum nimium fecerit, eâque ratione vir bonæ ſpei inopinatò fuerit abreptus. Et nonnullis horum virorum *robuſtiſſimorum* (qui poculis majoribus impunè indulgebant) in ætatis robore, & in optimâ valetudine illis prædixi, me vereri vitam illis fore brevem, propter poſthabita auxilia *Medica*, cunctatione quâdam ſtupidâ & fatali, nimiſque id verum eventus paulò pòſt comprobavit: Cùm libra ſanguinis opportunè detracta, cum regimine debito paululùm obſervato, extrà periculum illos certò citóque conſtituerat. Et dolendum eſt, *Medicos* quoſdam noſtros præclariſſimos, memoriâ noſtrâ, nimis attentos, aut multitudini ægrotantium à morbis ſuis liberandæ, quod quidem ſperandum eſt, aut fortè etiam pecuniis corradendis, propter eandem rationem negligendi vel procraſtinandi curam ſanitatis propriæ, *morte repentinâ* & inopinatâ è medio fuiſſe ſublatos: In admirationem vel terrorem ſuperſtitum qui notitiam habebant perſpectam ſcientiæ illorum, & peritiæ *Medicæ*,

aliis fortè clanculùm gaudentibus, aliis humaniter dolore perturbatis.

De *Signis*, quæ, ad homines opportunè monendos, vulgò præcedunt morbos *Capitis*, *Thoracis*, *Ventriculi* & *Veſicæ*, & quæ morbos graves paulò pòſt ſubſequentes certiùs portendunt, ſi quando contigerit ut *Signa* illa floccipendantur; & de modis facillimis & innocentiſſimis quibus morbi iſti interminantes tutò poſſint ac tempeſtivè præcaveri, legi poteſt utiliſſimè *Epiſtola ſapiens* & imprimis bona *Dioclis*, Medici peritiſſimi, data *Antigono* Regi: Eaque deſcribitur in fine libri primi Enchiridii *Pauli Æginetæ*. Eademque *Epiſtola* tàm præclara eſt habita, ut fuerit aſcripta ipſi *Hippocrati*, per *Janum Cornarium*, editorem & interpretem *Principum Medicinæ*, in ſecundo illorum Volumine, ante librum *Marcelli Empirici*, de Medicamentis. Sed exiſtimo, imò conſtanter affirmo, hanc eximiam *Epiſtolam* referendam eſſe acceptam *Diocli*, non *Hippocrati*, quia nullus fuit Rex *Antigonus* florente *Hippocrate*, qui fuit coætaneus *Dario Notho* & *Artaxerxi Longimano*; ſed poſt obitum *Alexandri Magni*, cùm diviſum eſſet Imperium ejus ampliſſimum inter *Primarios* ſuos *Duces*, tunc *Antigonus*, unus ex illis *Ducibus* inclareſcebat, & debellatis ſociis ſuis aliis, *Imperium* ſuum in Oriente longè latéque amplificabat; quo quidem tempore celebris fuit *Diocles*, quem *Plinius* nuncupat *ab Hippocrate ſecundum, &*

ætate

ætate & famâ, & quem *Athenienſes* appellare ſolebant *Hippocratem* Juniorem. Videtur verò *Cornarius* voluiſſe huic *Epiſtolæ* honorem non mediocrem reddere in attribuendo eam *Hippocrati Magno*: Quò gratior poſteris redderetur, & utilior.

Quanquam verò à *Plenitudine* graviſſimos morbos, & præſertim *Acutos* appropinquantes denunciante, præcaveat illos & avertat præ aliis omnibus auxiliis *Venæſectio* prudenter adminiſtrata, tamen *alvi ſubductio* tempeſtiva, à lenientibus noſtris, neque iis inſalubribus catharticis, cum *Temperantiâ* debitâ conjuncta, ſæpè vicem *Venæſectionis*, commodéque ſupplebit; & *Plenitudinem* iſtam diminuet, ubi errores frequenter prædominantur circà res non-naturales, & aut nolunt delinquentes, aut nequeunt convenienter ſe ſubmittere ſanguini detrahendo. Et in levioribus caſibus à *Plenitudine* obortis, ubi nullum perſpicitur periculum *Inflammationis* ſubſequentis, reverà melius eſt & conſultius alvum ſolvere, & humores redundantes exonerare; aut onus illorum tollere leniore *vomitione*, ventriculum alleviando & ità ſubſidium ferendo, quàm ſanguinem ipſum inutiliter aut inaniter diminuendo.

Nunc *Venæſectionis* utilitatem, aut uſum neceſſarium, in *noſtris Morbis* curandis ſpeciatim expendamus.

Et quia Febribus Inflammatoriis, ut *Pleuritidi*, *Eryſipelati*, *Anginæ*, *Peripneumoniis*, *Rheumatiſmo*, & ejuſmodi, nec non aliquando *Febribus* aliis *Continentibus*, plurimùm exardeſcentibus, ſumus obnoxii, propter *luxum* nimis frequentem in hoc populo ſumptuoſo, alioſque liberaliſſimè accipienti, & propter rerum omnium commodarum affluentiam copioſam, domi foriſque ſuppeditatarum, præ aliis fortè omnibus populis, ſanguis illorum plurimum incaleſcit; *Venæſectio* requiſita ſummè neceſſarium eſt auxilium. De his verò *Inflammationibus* accuratiùs aut diſtinctiùs omnibus aliis autoribus, utiliùs, & ſine importunâ prolixitate aut obſcuritate, videtur ſcripſiſſe præclariſſimus noſter *Sydenhamus*. Sed quanquam maxima nobis ratio eſt gaudendi, & paulò *gloriandi*, quòd *tantus Medicus* apud nos, & intrà hoc *Collegium*, non ità pridem floruerit, tamen nunquam eſt ſperandum, quemcunque virum vel Medicum, non *Hippocratem* ſapientiſſimum, non *Galenum* ſtudioſiſſimum, non *Sydenhamum* practicis apud nos Obſervationibus addictiſſimum, fuiſſe vel fore prorsùs conſummatum, nedùm infallibilem, in doctrinâ ſuâ, vel curandi methodo. Aliquod ulterius *vobis* addendum reſtat, aliquod *exteris* eximiis, & aliquod *poſteris* addendum ſemper reſtabit. Id autem habeo, ſemperque habebo, inter ſingulares fœlicitates, quæ unquam mihi ceciderunt in hâc vitâ, quòd ab ineunte meâ *Praxi Medicâ* tantus vir, *primus* omnium *Medicorum*, in hâc urbe mihi innotuerit, &

pro

pro ſummâ ſuâ humanitate magna mihi familiaritas cum illo jam indè ſemper increverit, & denique quòd valetudo ejus infirma, ex *Podagrâ* & *Calculo*, publica quædam Calamitas, frequentes mihi occaſiones diſſerendi cum illo de rebus *Medicis*, & ſub eo, quoad poterim, proficiendi, opportunè miniſtraret.

Et ut paululùm confirmem, quod modò perſtrinxi, liceat etiam meminiſſe, quòd idem Autor inſignis, cùm *Opera* ſua omnia ultimò editurus eſſet *A. D.* 1685. à me præ cæteris amicè peteret, quoniam ipſi difficile fuit ac permoleſtum, in Elencho priori rerum in ſcriptis ſuis contentarum, quippiam alicujus momenti, quod voluit, promptè invenire, ut ſcripta ejus rursùm perlegerem, & *Indicem* rerum præcipuarum *Alphabeticum* pro ſe jam annoſo & infirmo ego conficerem; quod muneris equidem non ut quid moleſtum ægrè tuli, ſed ut mihi jucundum, omnibuſque perutile futurum, tunc alacriter libenterque exegi. Et *Indice* illo impreſſo gratè fatebatur Dominus præclarus, nihil eorum, quæ ſciſcitari poſteà voluit, omninò effugiſſe ſuam facilem indagationem aut inquiſitionem.

Quicunque in *Pleuritide Venæſectionem* procraſtinat, vel parciùs æquo ſanguinem mittit, vel ratione quantitatis emittendæ, vel iterandæ phlebotomiæ, interim fidens anilibus deliriis, aut nugatoriis quibuſcunque medicamentis, optatam ſalutis recuperandæ occa-
ſionem,

ſionem, citiſſimè præterlapſuram, certocertiùs amittet. Quicunque etiam *vinum*, ſpiritus ardentes, vel cereviſiam fortem, vult inter tantam *Inflammationem* pertinaciter bibere, ſibi mortem inevitabilem celeriter conſciſcet. Verùm de *Venæſectionis* copioſæ manifeſtâ neceſſitate, inter *Pleuritidem* curandam, nulla eſt jam dubitatio apud doctos *Medicos* undique degentes. Sin uſpiam omittatur, id ſolummodò fit ab ignaris, inſanientibus medicaſtris, à furnivendulis, nebulonibus, aut mulierculis. Sed paulò ambigitur à ſagacibus, utrùm in hoc morbo *Nitrum*, partem inflammatam, ſanguinemque ipſum refrigerando, an *oleum Lini* copiosè etiam introſumptum, calorem pectoris præternaturalem obtundendo, majorem laudem mereatur. Proculdubiò hæc duo *Simplicia* medicamenta hanc *Inflammationem*, ſitu tàm vicinam partibus corporis principibus, vi unitâ, poſſunt potenter compeſcere. Id ſolummodò de hoc morbo annotabo, ſi fortè *Pleuritis* à caſu, aut pectoris contuſione pridem præcedenti oriatur, ut nonnunquam diligenter inquirendo tandem obſervavi, *Venæſectio* toties quoties celebrata, vix unquam *Febrem* profligabit, niſi *Emplaſtrum de Minio*, ad abſorbendos humores concretos, vel *Emplaſtrum de Meliloto*, vel conſimile ad illos emolliendos, attenuandos & diſcutiendos, in linteo extenſum, toti lateri dolenti adhibeatur.

In *Eryſipelate*, quùm *Inflammatio* partem aliquam corporis primariam, & præſertim *Caput* corripit, *Venæſectio* idonea imprimis conducit, & paulò pòſt *Catharticum Lenitivum* ; ad æſtuantes humores evacuandos, & bilem prædominantem compeſcendam. *Diaphoretica* calida recentiorum videri poſſunt propria, quia ab internis viſceribus adversùs Cutim quod moleſtum eſt foràs propellunt, ſed ea ſanguinem magis calefaciendo, morbum exaſperant, & reverà producunt. *Refrigerantia* & *Repellentia* veterum *Medicorum* Topica, ſunt maximè incommoda & periculoſa, quatenùs noxios humores à Cute introrſùm vertunt, & quatenùs *Schirroſis* tumoribus progenerandis, aut *Gangrænæ* ſubſequenti inſerviunt. Cataplaſma illud veterum ad *Inflammationes* præſtantiſſimum, è micâ panis albi in lacte vaccino coctâ, ſine oleoſis aut aliis poros obſtruentibus confectum, ideóque ſæpius renovatum, usûs eſt inſignis, ſi quod *Cataplaſma* in *Eryſipelate* poſſit tutò & utiliter adhiberi. Similiter *rapa* cocta & contuſa, ſi parti *Eryſipelate* inflammatæ admoveantur, plurimùm proſunt. Sed præ aliis Topicis *Fotus* è floribus, foliis, & cortice *Sambuci*, arboris illius medicinalis, in aquâ decoctis, cum ſpiritu vini copiosè addito, lenit calorem *Eryſipelatoſum*, citò diſſipat, & extinguit. Dubium videri poſſit, utrùm *Diaphoretica Chymicorum* ſpirituoſa, & exhibita *Theriacalia* doctorum ſimul & indoctorum

calefacientia, an veterum *Refrigerantia* Topica, fuerint in hoc morbo magis pernicioſa.

Sed & aliud *Topicum*, citiúſque parabile, præſtanti illo *Fotu Sambucino*, in *Eryſipelate* adhibendum, ſive faciem obrepſerit, ſive partem aliquam inferiorem infeſtaverit, jam vobis proponam, experientiâ quidem propriâ edoctus & confirmatus. Etenim *fotus* partis affectæ diuturnior cum *Spiritu Vini* calefacto, & bis vel ter in die repetitus, intereà *Bolum Lenitivum* exhibendo alternis noctibus, ad alvum poſtridiè ſolvendam; talis inquam *fotus*, citiùs aliis, aut etiam efficaciùs, ad præveniendam recidivam, *Inflammationem* iſtam pertinacem penitùs diſſipabit.

Et porrò, ut obiter etiam atque etiam dicam de eodem *Spiritu* egregio, extrinſecùs uſurpato, in *Colicâ* iſtâ mulierum obfirmatâ, & lateri abdominis nunc dextro, nunc ſiniſtro, infrà umbilicum, quaſi clavo trabali impactâ, & cujus dolor intolerabilis, triſtiſſimis planctibus evulgatus, quaſi *Phalaridis* taurum videtur exæquare, tametſi nullâ Vomitione concomitante extimuletur: *Fotus* è *Spiritu Vini* calefacto cum pannis laneis duplicatis, & majoribus, in eo quàm calidiſſimè imbutis, ſatiſque diu applicatis, dolorem iſtum deplorandum eodem die conſopiet, & diſſipabit, cùm *Narcotica* fient fruſtranea noxia vel adverſa. Et profectò, ut mihi videtur, hæc potiſſimùm *Colica*, profunda, & maxime terribilis,

ribilis, meretur nuncupari *Hyſterica*, potiùs quàm alia quæcunque cum *Vomitu* enormi conjuncta, & quæ in *Colicæ Bilioſæ* claſſem aptiùs referenda eſt.

In *Anginâ* præ aliis maximè neceſſaria eſt copioſa *Venæſectio*, è brachio imprimis, & *Cucurbitulæ* ſcapulis cum *Scarificatione* ſæpè conveniunt, vel *Epiſpaſticum* amplum nuchæ, nè ſuffocatio repentina hominem citò jugulet. Et confeſtim *Enema* eſt injiciendum, ad emolliendam alvum, quia tunc ea ſemper eſt aſtricta, propter humores inteſtinorum, liquefaciendis irritandiſque fæcibus neceſſarios, ſursùm ad fauces attractos & abreptos, ab *Inflammatione* & intumeſcentiâ fauces ſtrangulante, & à Dolore eam concomitanti. Ideóque etiam neceſſarium eſt, poſt *venam ſectam*, & *Enema* injectum, ut abdomen quamprimùm paulò plùs exoneretur, ad divertendos ac detrahendos humores ſursùm irruentes. Idque commodiùs fiet, non tàm *Catharticis* calefacientibus, quàm ſolutivis mitioribus, ut cryſtallis *Tartari*, non mediocri quantitate exhibitis, & cum *Sulphure vivo*, quod efficaciùs aliis omnibus medicamentis, & certè tutiùs, ſi non citiùs, *Calomelano* ipſo, *Tumores* plurimos diſcutit, diſſipatque: Si nempè eadem in *Anginâ* repetantur cochleatim, ſingulis ferè horis, donec Tumor multùm imminuatur aut evaneſcat, & deglutitio anguſtiis ſuis reddatur liberata. *Suppuratio Tumoris* hoc modo evitatur,

tatur, imminenſque periculum *Suffocationis*, aliàs aſſiduè augmentans, facilè propulſatur.

Quicunque in *Febrium Acutarum*, ſive *Continentium* principio, *Venæſectioni* repugnat, videtur eſſe prorsùs vecors, aut mentis inops, & ipſi *Arti Medicæ* abrenunciare. Niſi & Vomituritio, *Vomitus*, aut Nauſea, in principio illarum ſe exhibentes, *Emeticum* priùs indicent. *Galenus* 4to Meth. *cap.* 6. de Vulneribus etiam dicit: *Omni Vulneri* (quod Chirurgis notandum eſt) *recens facto, niſi ſit in ventre, expedit ex eo ſtatim ſanguinem plùs minuſve detrahere.* Quippè *Phlegmone* ſic minùs tentabitur, tùm Ulcus ipſum, tùm loca quæ ſunt circumpoſita. In *Febribus* verò *Continuis*, Doloris expertibus, cavenda videtur nimia, nimiſque frequens *Venæſectio*, nè loco auxilii, ſalutemque reddendi, comminuantur & exhauriantur vires ægrotantis: Idque maximè ſi ægrotans fuerit *ſenilis*, quod prudentibus Medicis ſummè notandum eſt. Præſtat enim *Medico*, parciùs aliquantò, & tutiùs, & ſapientiùs agere, quàm periculum quodcunque aliis inferre, aut quenquam opem noſtram ſubmiſsè implorantem, in majus vitæ vel ſalutis diſcrimen, ex imprudentiâ noſtrâ, temerè conjicere.

Sed ut *Venæſectionis* uſum neceſſarium, vel commodum ſingulare jam prætercam, in morbis *Capitis*, ut *Apoplexiâ*, *Vertigine*, *Ophthalmiâ*, *Dolore aurium* ſæviori, ſive illa fuerit

rit effecta per ſectionem *Jugularis*, ſive per ſanguiſugas ponè aures poſitas: Aut ut etiam prætercam ejuſdem utilitatem in *Palpitatione Cordis*, quo quidem in caſu vix unquam *Venæſectio* ſupervacanea eſt; aut etiam in *Hæmoptyſi*, atque in dolore *Nephritico* graviori: Sed certiſſimè *Phlegmones*, ſive *Inflammationes* omnium partium, tàm internarum quàm externarum, auxilium *Venæſectionis*, habitâ virium ratione & diuturnitatis morbi, neceſſariò requirunt. Sed in *Phlegmonibus* partium externarum Chirurgi verſutiores, qui lucro præſertim inhiant, non ità favent neceſſariis *evacuationibus* quæ Tumores diſſolvant, humoreſque confluentes ſolent diſſipare, ut *Cataplaſmatis* ſuis *Emollientibus*, quæ negotia permanentia illis faceſſunt, & quæ *Tumorem* dolentem facilè perducunt ad *Suppurationem*, hamum illum aureum diuturna negotia colligantem. Etenim Tumor inciſione adapertus, & *Turundarum* ope præpotenti apertus conſervatus, quamdiu probo artifici placuerit, laboribus *Chirurgicis* aſſiduis anſam commodè præbet, & conflando quæſtui non exiguo, qui jejunæ mercedi *Venæſectionis* longè præferendus eſt, idoneam occaſionem præſtat. Quàm pauci mortalium iſtis lucri lenociniis pro virili reſiſtunt! Quam pauci in officio, quantumlibet fuerint probi, non aliquando claudicant!

Et profectò maximè dolendum eſt, paucas eſſe occupationes, pauciſſima vitæ genera, in

quibus homines *Arte* aliquâ inſtituti, inter eandem exercendam dubitant alios aſtutè fallere; cùm iidem artifices fuerint interim *probi*, & in *alienis* vivendi generibus juſtitiam ritè ac religiosè obſervaverint. Tanta eſt obliquitas, tantuſque dolus pervagatur, in juniorum iniquis inſtitutis & ſeniorum pravis exemplis, ut pauci unquam poſſint ſe poſteà expedire, ab erroribus iſtis & fallaciis, quibus ab ætate pænè ineunte à *Magiſtris* ſuis fuiſſent imbuti & educati.

Sed benè ſperandum eſt, *Artem* noſtram præclariſſimam, maximè *Liberalem*, maximè *Miſericordem*, Saluti hominum recuperandæ ſingulariter deſtinatam, ab alienis dolis eſſe liberrimam, & à ſordibus turpibus *Artificum* mercenariorum omninò expurgari. Ut ab *Hippocrate* ſapientiſſimo nos inſtruimur, *Sapientiam* ejus perdiſcamus; ut à *Galeno* ſtudioſiſſimo, integerrimo, & ſupra omnem fraudem longè evecto, præ aliis Autoribus imprimis docemur, inſtar *Galeni* ſimus incorrupti, in omnes benevoli, & ipſi *Temperati*, ut *Longævitatem* venerabilem, dignam *Medicis* ſalutiferis, dignamque *Galeni* doctrinâ & exemplo, *Deo* volente, tandem aſſequamur.

DISSERTATIO VIII.

De Varice, & Aneuriſmate.

Apr. 28. 1724.

POST *Venæſectionem* priùs vindicatam ab arroganti contemptu vel neglectu inſulſorum Empiricorum, qui res omnes *Medicas*, quoad poterint, perturbant; & poſt liberatam illam ab erroribus Medicorum quorundam phantaſticorum aut delirantium, tàm florenti *Galeno* doctiſſimo ac peritiſſimo, quàm temporibus noſtris recentioribus: Et poſt inſignes & maximè neceſſarios uſus ejuſdem auxilii Medici in morbis præſertim *Inflammatoriis* curandis, paulò explicatos, ſequi poteſt non ineptè *dilatationis* cùm *Venæ*, tùm *Arteriæ* diligentior conſideratio.

Vena Dilatata dicitur à *Græcis* Κιρσὸς, *Latinis Varix*, à varus, quia venæ obliquè vertuntur vel divaricant in ſuo curſu, non modò meliùs reducendo ſanguini in *Cor*, ex quamplurimis canaliculis, huc illuc diſpertitis, ſed ad commodius partium nutrimentum; quem-

admodum flumina omnia, ingentes illi canales, non recto curſu feruntur in mare, ſed obliquis ſuis flexibus accommodè irrigant multas terras vicinas in tranſitu illorum multiplici huc illuc longè diffuſo. Quæ quidem res, tàm in ſtructurâ partium corporis exquiſitiſſimâ à *Conditore* omnium *Sapientiſſimo*, quàm in formando figuram telluris in quâ nos agimus, ſic inæqualem, & montibus aut monticulis, convallibus & planitiebus ità conſtantem, ut illinc ex ſinuoſis aquarum curſibus plus terræ reddatur cultum & fructuoſum; hæc, inquam, debent animos hominum *Sapientiorum* ducere, & quodammodo rapere in altam *Sapientiæ Divinæ* & frequentem admirationem.

Ut Cauſam *Dilatationis Venæ* meliùs perſcrutemur, non modò *Tunicarum* ejus naturam oportet conſiderare, ſed & *Valvulas* in illis poſitas debitis quibuſdam intervallis. *Tunicæ Venarum* ſunt molles, teneræ, & flexibiles, ut *Tunicæ Arteriarum* ſunt duriores, fortes, & magis accommodæ, ut ictum aſſiduum & impulſum ſanguinis fervidi à *Corde* ſine noxâ ſuſtineant. Crediderunt veteres Medici *Venam* habere unicam, ſimplicem, & prætenuem *Tunicam*, *Arteriam* verò duabus Tunicis conſtare. Sed recentiores Anatomici, acutiùs illas inſpicientes, ope ocularium ſpecillorum, & maximè *Microſcopiorum*, concludunt utramque, tàm *Venam* quàm *Arteriam*, quatuor Tunicis circumveſtiri.

Hunc

Hunc in modum deſcribuntur hæ *Tunicæ* à neotericis Anatomiæ adminiſtratoribus. Prima ex illis quatuor membranis *Venarum*, eſt textura fibrarum nervoſarum rectâ lineâ decurrentium. Secunda eſt retiformis, ex multitudine vaſorum minimorum conſtans, ad cæterarum membranarum nutrimentum. Tertia eſt Glandulis referta, ad ſerum prioris membranæ abſorbendum, idque poſteà colandum in ductus excretorios, ſive *Lymphaticos.* Quarta componitur è fibris muſculoſis & annularibus, quæ contrahendo ſanguinem rectà impellunt. Similiter etiam *Arteriarum Tunicæ* magnâ ex parte deſcribuntur, quod prætermitto, nè moleſtiam jam faceſſerem.

Verùm *Arteriæ* videntur non modò diſtribuere alimentum corpori per orificia in extremitatibus ſuis hiantia, ſed & idem frequenter vibrare & diſpergere per *latera Tunicarum* ſuarum, utcunque *Arteriæ* fuerint membranis fortioribus totidem communitæ. Et veriſimile videtur *Arterias*, inter profluendum ſanguinem in ſuis canalibus, tantillum ejus, multis in locis, ſed certis quibuſdam intervallis, jicere in partes vicinas, per latera totius ſuæ longitudinis, ad irrigandas eas & nutriendas. Etenim inter contemplandum & conſpiciendum *motum circularem ſanguinis*, in caudâ viventis Piſcis planè & perſpicuè obſervavi, ſanguinem per *tunicam Arteriæ*, fortè vix centeſimam partem guttulæ ſanguinis, inſtar *imbris*

vel *nebulæ ſanguineæ*, nonnunquam inſpergi in muſculos vicinos, ad nutrimentum illis diſtribuendum. Et paulò pòſt, morâ aliquâ interpoſitâ, vidi eandem imbris ſanguinei inſperſionem, adinſtar *Decumani* cujuſdam fluctûs, *Decumanâ* circiter *Pulſatione*, ſimiliter iterari. Quaſi *Valvulæ* quædam imperceptibiles in *tunicis Arteriarum* certo ordine diſponerentur, quæ claudant aditum & aperiant, lege Naturæ ſtabilitâ.

Etſi verò extravaſatio Sanguinis præternaturalis ſit periculi plena, & in *Abſceſſum*, *Empyema*, *Fiſtulam*, aut funeſtum aliquem morbum facilè tranſeat, tamen illa perexigua aut minima vaſorum arterialium, non depletio, non ſanguinis fluitatio, ſed mitis ejuſdem *exudatio*, tuta eſt, commoda, & ſecundùm naturam, omnique periculo vacat.

Hujuſmodi Obſervationes, propiùs intuitæ, ope *Microſcopiorum*, in formatione fœtûs indies progrediente, & in toto ſyſtemate corporis humani perſpiciendo, ut nihil dicam de cæteris animalibus, inſectis, & infinitâ copiâ animalculorum; hæc, inquam, debent *Medicos* præſertim, tantorum ſpectaculorum callentiſſimos, incutere metu ac reverentiâ *Conditoris* omnium *Omnipotentis*, & oculis illorum ſubjicere peritiam maximè exquiſitam, quam adhibuit in illis condendis *Sapientia Divina*, longè, imò infinitè tranſcendens imperitiam operum omnium Sublunarium, ſummo

mo cum artificio confectorum, & reprehendens lippitudinem hominum excellentiſſimorum, in operibus ſuis factitiis.

Multa dixerunt veteres de *Anaſtomoſe Arteriarum* cum *Venis*, quaſi ea *Anaſtomoſis* viſibilis illis fuiſſet, eamque penitùs exploràſſent: Sed magis Lyncei noſtri Anatomici, nullam ejuſmodi agnoſcunt, neque reperiunt quâcunque indagatione talem *Anaſtomoſin.* Verùm *Inoſculationem* Venæ cum Venâ, Arteriæ cum Arteriâ, neoterici ſæpè percipiunt. Sed licèt arduum ſit explicare, & ante oculos exponere confluxum, vel potiùs conjunctionem, aut continuationem utriuſque amnis ſanguinei, *arterialis* in venoſum, ductibus illorum quodammodò diſruptis in extremitate itineris arterialis, & jam ſublatâ veterum *Anaſtomoſe*, tamen poſſumus abundè perſpicere ſanguinem eodem celeri motu curſum ſuum conficere utrinque, tam profluendo procellosè in *Arteriis*, quàm refluendo placidè ac pacatè in *Venis*, ac ſi ambabus unus eſſet ac continuus ductus, nequaquam terminatus aut interruptus. Confluxus enim utriuſque canaliculi ex ordine peragitur, ac ſi mutua eſſet utriuſque conjunctio, qualitercunque nobis imperceptibilis. Reſtet igitur hoc Phænomenon poſteris noſtris curioſis ad amuſſim explorandum.

Sed ut eò, undè digreſſi ſumus, redeat ſermo, & cauſam *Dilatationis Venæ* adhuc penitiùs ſcrutemur, præ aliis conſiderandæ ſunt

Valvulæ in omnibus artuum *Venis* reperiundæ, cùm nullæ intrà *Arterias* viſibiles reperiantur. Ejuſmodi etiam *Valvulæ* à curioſis obſervantur diſſeminari, in *Venis Lacteis* & *Ductibus Thoracicis*, ad prohibendum *Chyli* regreſſum, inter aſcenſum ſuum è communi receptaculo versùs Venam Subclaviam; ſed illis privantur *Arteriæ*, quia neque illarum *Pulſatio*, neque *Cordis Pulſatio*, poſſunt quocunque modo ſine noxâ admittere impedimentum *Valvularum* in motibus ſuis impetuoſis. Etenim ſi copiâ ſanguinis nimiâ ventriculi *Cordis* opprimantur & redundent, tanta turba, tamque conferta ſanguinis nimis copioſi, ut & melancholica ejuſdem craſſities, facilem egreſſum ſanguinis præterlapſuri neceſſariò inhibent & retardant; undè oriri ſolent *Palpitatio Cordis* & *Intermittens Pulſus*. Neque *Arteriæ* admittunt in canalibus ſuis *Valvulas* vel obſtacula, ad coercendum rapidum ſanguinis motum, quia idem Pulſus vel *Pulſatio*, quæ incipit in *Corde*, transfertur & permanet per totam *Arteriarum* longitudinem vel continuitatem.

Hæ *Valvulæ Venarum* ſunt membranæ quidem tenuiſſimæ, ſed ſatis fortes ut ab illis prohibeatur retroceſſio ſanguinis, profluentis versùs *Cor*. Collocantur illæ *Valvulæ* gradatim in venis, debito quodam intervallo ſegregatæ circiter pollicis majoris unius aut alterius diſtantiam, vel etiam ampliùs, prout abdomini aut pectori propiùs appropinquant, vel longiùs

giùs ab iis diſtant ; & præcipuè diſponuntur in femoribus & pedibus, in brachiis & manibus, quia ſanguis lege *Circulationis* rediens ab extremis illis partibus magis poſtulat opem & adminiculum *Valvularum* ad ſuſtentandum ſanguinis aſcenſum, & motum ejus accelerandum, quàm cæteræ venæ in abdomine aut thorace contentæ, utpotè quæ ſunt propiores fonti motûs & caloris *Cordi*, & *Venæ Cavæ*, magnis illis ſanguinis receptaculis. Mirè & aptiſſimè componuntur hæ *Valvulæ* falcatâ ſuâ fabricâ, ut ſcilicet facilis introitus pateat ſanguini præterlabenti, idemque meatus intercludatur ſanguini reverſuro.

Mollities igitur *Venarum* propenſas eas reddit huic *Dilatationi*, ſed venam efficit intumere *Valvula* aliquis offenſa, vel multùm læſa in functione ſuâ peragendâ, ſive à copiâ ſanguinis redundantis, ſive à craſſitie ejuſdem *Valvulam* pondere incongruo opprimentis. Etenim ego ſpeciatim obſervavi, in ortu *Varicis*, *Tumorem* apparere in regione *Valvulæ* ſuprà Dilatationem poſitæ, eundemque apparere vel *ante Dilatationem*, vel unà cum *Venâ Dilatatâ*. Quem quidem conſpectum, & obſervationem *Tumoris Valvulam obſidentis* nullus quod ſcio omnium autorum, qui de *Varicibus* conſcripſerunt, vel tradidit nobis quicquam, vel unquam muſſitavit.

Quocircà propria *Varicis Curatio* reſpicere debet utrumque illorum, cùm *Venam Dilata-*

tam, tùm *Valvulam tumefactam*, Venâ turgidâ proximè ſuperiorem.

Ad *Venam Dilatatam* ſive curandam, ſive palliandam, remedia *aſtringentia*, nunc & olim ſunt adhibita parti affectæ, tàm à veteribus *Medicis*, quàm à recentioribus *Chirurgis*, ut membranæ relaxatio, quæ eſt in venâ, ab illis applicatis foret corroborata & conſtringeretur. *Aſtringentia* quæ invaleſcunt, ſunt bolus *Armena*, ſanguis draconis, terra ſigillata, Corallium rubrum, cum albumine ovi & aceto. Item acacia, hypocyſtis, roſæ rubræ, balauſtia, cortices granatorum, vulgò Malicorium, & nuces cypreſſi, cum oleo myrtino, aut roſaceo applicata, & cum faſciis conſtringentibus retenta.

Hanc verò curandi rationem maximè improbare libet, quantumcunque eam Autoritas ſtabiliverit, vel conſuetudo longa hâc in re obtinuerit, quoniam *aſtringentia* conſtipant & condenſant ſanguinem, qui priùs fuit nimis condenſatus. Prætereà eadem ſæpè repellunt humorem præternaturalem vel melancholicum, in partes nobiles & principales; quod in ſummum vitæ diſcrimen ità affectos non raro conjicit. Quandoquidem *Varices* exorti, & *Hæmorrhoides* tumentes, aut fluentes, utpotè fæculentias ſanguinis, & plurium morborum ſeminaria recipientes, ſolent liberare à morbis periculoſis. Ideóque docuit *Hippocrates*, Sectione 6ta Aphoriſmorum. *Inſanientibus ſi Varices*,

Varices, vel profluvium Hæmorrhoidum acceſſerunt, Inſaniæ fit ſolutio. Et, *Melancholicis & Nephriticis Hæmorrhoides ſupervenientes, bono ſunt.* Item, *Hæmorrhoidum fluxum diuturnum curanti, niſi una earum venarum ſervetur incurata, periculum eſt nè Hydrops vel Phthiſis ſuccedant.* Jam demùm ſi hæc ita ſint, ſi ab expulſione morbidi humoris extrorsùm tantum fuerit beneficii, quantum è contrà periculi *varicoſis* debet imminere, poſtquam ſanguis fæculentus benignè fuerit à naturâ amandatus in *Venam Dilatatam*, ſive in ano, ſive in femore, aliiſve partibus, ſi tandem *aſtringentibus*, frigidis & repellentibus medicamentis, idem ſanguis repercutiatur in viſcera interiora, quorum ſemper imbellius præ cæteris partibus hoſpitem importunum facilè admittit, & ſe duræ ejus poteſtati meritò ſubmittit.

Nec modò *Aſtringentium* uſum in *Varicibus* curandis equidem reprehendo, ſed & *Faſcias Varicem* vulgò conſtringentes valdè ſuſpectas habeo, quoniam circuitus ſanguinis, qui liber eſſe debet, iſtis arctis deligationibus multùm perturbatur, celerque ejus progreſſus impeditur.

Ætius, inſignis autor, quanquam in *Varicibus* inveteratis aſtipulatur, unà cum *Galeno*, diræ *Sectioni Chirurgicæ*, & inſequenti *Amputationi* prætumidæ venæ, poſt expreſſionem ſanguinis inibi ſtagnantis, tamen ad incipientes

pientes *Varices* videtur plurimùm ſavere applicationi *Emplaſtri* præſtantioris, quod conſtat è Pice vel Bitumine *Judaico*, oleo vetuſto, Terebinthinâ, & Sulphure vivo; quod quidem *Emplaſtrum* longè magis meretur approbationem noſtram, quàm *aſtringentium* uſus. Interim dum de *Ætio* loquor, audiamus parumper vos oro quid de illo dicit *Cornarius*, doctus ejus interpres in Epiſtolâ ſuâ ante Tetrabiblos: *Crede mihi*, inquit *Cornarius*, *quiſquis es rerum Medicarum ſtudioſe: Si totum Galenum contractum, ſi totum Oribaſium explicatum, ſi Paulum Æginetam amplificatum, ſi omnes veterum ſpeciales, tùm per Pharmaca, tùm per Chirurgiam, curandi modos, ad omnes affectiones, in ſummâ habere voles, Ætium habes, undè totum hoc petere, ac ferre potes.* Neque etiam prætereundum eſt, quod Doctiſſimus Profeſſor *Leydenſis*, Dominus *Boerhaave*, de *Ætio* pronunciavit, nimirùm ejus Quaterniones excellentiſſimos tantundem in re *Medicâ* ac *Chirurgicâ* comprehendere, quantum in *Jure Civili* complectuntur præclari *Codices Juſtiniani* Imperatoris.

Foreſtus tradit lib. 29. Obſerv. 25. ſe in hunc modum curâſſe *Hiſpanum Varicibus* diuturnis in utroque crure laborantem, ex quo compedibus ille ferreis arctè fuiſſet aſtrictus apud *Turcas*. Poſt univerſalia, uſus eſt decocto *Sarſaparillæ*, *Chinæ*, & *Guaiaci*, adjectis herbis melancholicum humorem mundificantibus, & foliis Sennæ & Epithymi ad

eundem humorem expurgandum, quibus remediis, inquit, egregiè tandem curatus fuit. Et hujuſmodi *Curatio* pergrata eſt nobis, & magnoperè placet.

Aliis in hunc finem maximè celebratur ſuccus radicis *Bryoniæ*, pro mirabili *Arcano*, ad *Varices* diſcutiendos, & ſanguinem in iis ſtagnantem reddendum fluidiorem: Vi ſuæ acrimoniæ, quâ craſſos humores attenuat & exagitat. Idemque ſuccus aliis eum valdè admirantibus *Nectar* nuncupatur, non propter ſuavem ejus guſtum, ſed ſi quicquam propter effectus admirandos in diſſolvendis & expurgandis concretionibus internis periculoſis. Ideóque *veteres Medici* audebant ℥j rad. *Bryoniæ* Albæ exhibere per annum totum, *Apoplexiæ*, *Epilepſiæ*, & *Vertigini* obnoxiis, non verentes qualitatem ejus ſepticam vel adurentem.

Ego *Varicem* in femore tumentem fœliciter curavi, lenibus primùm frictionibus partis circumcirca, ac deindè illinendo eam ſæpè cum ſpongiâ madefactâ in *Tincturâ Myrrhæ*, & quæ *Tinctura* conficitur ſine calore, frigidè infundendo *Myrrham* in ſpiritu vini rectificato. Utilitatem hujus *Tincturæ* in Varicibus curandis probè didici experiri ab obſervando inſigne ejuſdem beneficium in diſcutiendo tumorem *Venarum Hæmorrhoidalium* Dilatatione ſuâ anum infeſtantium. *Myrrha* imprimis exiccat, aperit, attenuat, maturat, diſcutit,

cutit, putredini reſiſtit, & fluxiones ſiſtit. Ideoque ſavorem noſtrum & approbationem videtur plurimùm mereri *Emplaſtrum Diaſulphuris Rulandi*, propter *Myrrham* copioſè ingredientem in ejus compoſitionem; quanquam & Prudentia non permittit, ut temerè aſſentiamur eulogio illi *Rulandi*, quod illud ſuum *Emplaſtrum* ſit certum & infallibile in curandis omnis generis *Ulceribus*, & *Vulneribus* quibuſcunque. Nimirum ignoſcere oportet huic magniloquentiæ, ſive vanitati glorioſæ multorum autorum, & maximè *Chymicorum*, in remediis ſuis propriis amplificandis. Sic verò deſcribitur ejus *Emplaſtrum Diaſulphuris:* ℞. Olei, ſeu potiùs *Balſami Sulphuris* ℥iij. ceræ ℥ß. colophoniæ ſive Picis *Græcæ* ℥iij. Myrrhæ ad pondus omnium f. Empl. ſ. a. Huic *Rulandi* Emplaſtro proximè accedit, vel ſaltem idem propè æmulatur, viribus ſuis, nimirùm *Sulphure* & *Myrrhâ* imprægnatum, *Emplaſtrum* noſtrum *Diaſulphuris*, in Pharmacopœiâ noſtrâ recentiùs editâ deſcriptum, & ad varios uſus, ut ſpero, utiliſſimum. Quod verò ad *Tumorem Valvulæ* duriuſculum, & ſupradictum, attinet curandum, qui protuberat & ſe extendit, in ſuperiore parte *Venæ Dilatatæ*, & juxtà regionem Valvulæ debilitatæ, poſſumus illum *Tumorem* diſſipare, adhibendo illi Emplaſtrum de Minio, vel Diachylum cum gummi, quod conſervavi affixum Tumori, tutumque à defricatione veſtimentorum, ſolummodò imponendo illi Emplaſtro tranſverſim tæniolas longiuſcu-

las illinitas Emplaſtro *Adhæſivo*, & utrinque procurrentes ultrà marginem Emplaſtri de Minio; Et ſic in femore devitavi nocumentum quod poteſt contingere ex *faſciis* venas deligantibus, & motum ſanguinis liberum nimis reprimentibus. Sed geſtet æger braccam commodam lineam vel laneam, paulò laxam ad præveniendam Emplaſtri defricationem, ex progreſſu, decubitu, vel femorum leni attritione.

Emplaſtrum verò de *Minio*, quo diu ſum uſus, ad omnes partium Subluxationes, ſummo cum auxilio & ſucceſſu, non eſt vulgare, ſed conficitur hujuſmodi: ℞. ol. Olivar. ℔ j. ol. chamæm ℥ ij. unguent. Popul. ℥ iiij. poſt debitam illorum agitationem cum ſpatulâ ſuper ignem, vel carbones ex ligno aduſto, tandem adde Minii ℔ ß. & denique diſſolve Ceræ candidæ in fruſtula confractæ ℥ iiij. & continuetur agitatio, donec reducantur in maſſam Emplaſtri, in cylindros formandi.

Reſtat ſolummodò, ut nos paulò indignantes notemus, & culpemus horridam iſtam carnificinam, ſive temerarias exectiones, cùm *Venæ*, tùm *Arteriæ*, in *Varicibus* & *Aneuriſmatis*; ſive fuerint perpetratæ *immiſericorditer* à veteribus Medicis, ut conſulit *Celſus*, ſive effræni audaciâ, aut inſigni feritate, à Chirurgis ullis recentioribus. Æquè enim omnes ſunt reprehendendi, quicunque humanitatem ſuam abjiciunt, qui rariùs parcunt,

cùm penes illos ſit, miſerè afflictis acerbiùs affligendis.

Unum exemplum hujuſmodi horridæ *Inhumanitatis* vobis exhibebo: Generoſus juvenis, optimæ indolis, nunc doctrinâ clarus, vix 15um ætatis annum tunc conſecutus, ex *Phlebotomiâ* imperitâ, ruri præſtitâ, *Aneuriſma* perpeſſus eſt in brachio, arteriâ ſcilicet vulneratâ. Tumor deinceps in cubito exortus eſt, circiter pugni magnitudinem. Sed illo Tumore indecoro juvenis graviter vexatus, ſummè percupiebat ejus extirpationem periclitari; miſſuſque eſt *Londinum*, ut Operationem, ſi æqua videretur, proſpicerem, diligenterque curarem. Ego Chirurgum clarum, dominum *Gulielmum C.* accerſi jubebam, ut deliberaretur, an Operatio talis prudens foret, & juveni tuta. Ille verò ſtatim conſilium præbuit, ut Operatio perficeretur, & munus iſtud atrox, ſine ſcrupulo aliquo injecto, facilè ſuſcepit, diramque vaſorum ſtragem immiſericorditer quidem fecit, juxtà *Celſi* conſilium Chirurgis datum, inter *Operandum*, totumque illum Tumorem, cum omni appendice vaſorum & ſanguinis concreti, audacter abſcidit. Poſtquam opus illud ſævum tragicumque utcunque abſolverat, diſciſſis vaſis filo forti utrinque ligatis, tanquam ſciſſurâ in veſtimento dilacerato, *Dolor* Vulnerationis permanebat acutiſſimus, undè *Febris Acuta* ſymptomatica. Proptereà ut vitam maximè periclitantem Domini lugubriter, clarè, & indeſinenter ejulantis ego conſervarem, citò præſcripſi Julapium *Narco-*

ticum cum Syrupi de Meconio unciis duabus impregnatum, ut ſat copioſè de eo biberet, alternis ferè horis, donec Dolor immanis leniretur, quod ſecundo ut memini die, Numine ſecundanti, aut ad ſummum die tertio evenit; & tunc Febris remittere incepit, & Victima illa *Aneuriſmatis* incolumis, licèt ægrè evaſit.

In tantâ Sanguinis amiſſione æquius videbatur, longéque tutius *Narcotica* ſenſim doſibuſque minoribus tunc exhibere, quàm quantitate copioſiore, nè illa uberiùs data reliquum virium robur repentè ſuperarent. Sed id mihi mirum præ aliis fuit, meque attonitum reddidit, quod *Chirurgus* ille tàm *inſignis* laudes ſuas immodicè palamque creparet, pro exequendâ Operatione tàm temerariâ & inhumanâ, ut mihi planè videbatur; cùm Tumor ille neglectus ſolummodò perturbationem mediocrem creare poſſit, non vitam in tantum diſcrimen adducere. Nimirùm hoc facinus glorioſè fuſéque paulò pòſt expoſuit in *Tranſactionibus* editis *Regiæ Societatis*, exindè proponens rem tàm diram pro exemplari, ut alii inexperti id imitarentur.

Sed quæ comparatio eſſe poſſit, inter tolerandum leviuſculum incommodum, vel quoddam *indecorum*, & ſæviſſimos dolores ac cruciatus, ex iſtis *diris Operationibus*, perferendos? Quænam comparatio inter morſum quaſi Pulicis contemptum, & quendam equuleum maximè terribilem; inter exiguam animi anxietatem & extremam ipſius vitæ periclitationem?

Et

Et profectò ſi omittantur iſtæ atroces Operationes, in *Varicibus* & *Aneuriſmatis* curandis, nullum conſequitur magnum Salutis detrimentum; nequaquam tollitur ex illo neglectu omnis dulcedo vitæ. Multa enim conſolatio viro virtute prædito, à Philoſophiâ, ab amicis, à rebus reliquis ſecundis poteſt adhiberi. Quid ſi fortè Meretricula, fortè amaſia, ejuſmodi *Tumorem* averſetur & ægrè ferat? Certè id illis tantò melius, pro illorum *ſalute*, pro fortunâ, pro exiſtimatione, pro æquanimitate. Certè in ſtultitiâ proſequendâ, in ſervitute inanium voluptatum, vel inter conſuetudinem communem *gregis Epicuri*, ſive ſtupidi ſive urbani, neque proſpera ac permanens valetudo corporis, neque jucunda animi tranquillitas, *Summum* illud *Bonum* ſaniorum *Philoſophorum*, eſt commodè habenda, vel expectanda.

DISSER-

DISSERTATIO IX.

De Oedemate & Scirrho.

Oct. 13. 1719.

QUONIAM viciſſitudines tempeſtatum inconſtantes variis defluxionibus humorum calidorum, & congeſtionibus frigidorum, nos facilè obnoxios reddunt; & cùm perpotationes frequentes, veſpertina multorum & dilectiſſima recreatio, ſine quâ vix vita putatur vivere, innumeris morbis anſam præbent, atque ſenſim cædunt plures his otiis nimis ſedulò incumbentes, pænè eâdem certitudine, quâ gladius & ſclopetum dicto citiùs alios perimunt: Cùm verò in aliis aciditas, in aliis viſcoſitas humorum, omnibus corporis partibus pertinaces obſtructiones nonnunquam figunt & confirmant, tumoreſque ex illis progenerantur, tàm in tenellis atque in fœminis, quàm in viris bibacibus ac vinolentis, de Frigidis Tumoribus pauca diſſeramus, & præſertim de *Oedemate*, *Scirrho*, & *Scirrhoſis Tumoribus*.

Veteres Medici, inter quos Magnus *Hippocrates*, omnes *Tumores* voce *Oedematis* nuncupârunt, derivantes illos ab οἰδέω tumeo. Sed nos illo nomine ſpeciatim inſignimus *Tumorem mollem*, laxum, à dolore vacuum, digitorumque compreſſioni facilè cedentem.

Galenus libro de *Tumoribus* præternaturalibus capite nono, primùm diſtinxit *Oedema* à cæteris Tumoribus, aliique deinceps Medici *Galenum* in determinandâ notione *Oedematis*, eamque accommodandâ ad mollem ſolummodò, laxumque illum Tumorem, generaliter ſecuti ſunt.

Etſi tales *Tumores* in omnibus mollibus corporis partibus exoriri poſſint, tamen imprimis conſpici ſolent in manibus pedibuſque, ſive Hydropicorum, ſive Cachecticorum, aut Phthiſicorum. In mulieribus utero gerentibus ſæpè quidem cernuntur, nec rarò in viris ignavis, & otio immodice indulgentibus. Critici noſtri, qui *in ſcirpo nodum* nonnunquam *quærunt*, hos dicunt humores congeſtione accumulari, utpotè frigidos, non defluxione, quemadmodùm calidos. Quid ſi fluant ſenſim, ut in partibus congerantur? ſolvitur nodus. Certè otium & deſidia corpus debilitant, vires omnes, cùm animi tùm corporis, labefactant, & in membra præcipua, laboribus maximis dicata, ut *manus* & *pedes*, vindictâ quâdam inertiæ, præ aliis partibus animadvertunt; idque tamen clementer, ſine moleſtis cruciatibus.

bus. Siquidem homo naſcitur labori perferendo, & præſertim *agriculturæ* proſequendæ, operæ, ſiqua alia, laborioſiſſimæ. Labor & exercitium humores attenuant, fluxileſque reddunt, ut munere debito fungantur, ut ſuperflui ritè perſpirent, utileſque alii univerſas corporis partes benigno rore humectent. Fieri non poteſt, ut *ſalus* conſervetur incolumis, citrà modicam corporis *exercitationem.* Et difficile eſt animum tueri ſanum, & *Sapientiam* aliis præluxuram procedere, niſi ſtudiis incumbendo, niſi induſtriâ indefeſsâ, niſi bonis artibus conſtanter invigilando. Etenim non *progredi ſtudiis*, verè dicitur regredi.

Curationem *Oedematis* Symptomatici, Hydropem alioſque morbos graviores conſequentis, haud gravatim amandamus Medicis illis peritioribus qui morbos deploratos propulſare valent, aut ejuſmodi permittimus, ſi ita libet, ignaris ardelionibus, & ſummâ audaciâ fretis Empiricis, qui Schedulas ſuas benevolentiſſimas, ſed impudentiæ & mendacii plenas, per vias diſtribuunt amicè omnibus progredientibus, & Panchymagoga ſua *Arcana* apud artifices reponunt, omnibus præſertim ſtolidis, aſiniſque ſtupidis ſemper accommoda.

Oedema ſimplex & exquiſitum, quod aliis morbis inveteratis non conjungitur, curatur Diætâ congruâ, Pharmaciâ, & Topicis medicamentis.

Veteres Medici præclariores, candore & benevolentiâ ſingulari præditi, *Oedemati* adhibebant ſolummodò Externa, Topicaque Remedia, tacentes omninò de Internorum uſu; quæ tamen certè videntur propriè indicari, ad corrigendam ſæpè impuram ac vitioſam corporis intemperiem. Quòd verò talis intemperies in his fermè prædominetur, triſtè teſtari poſſunt pauperes & egeni, qui hoc morbo præ aliis laborare ſolent, propter victum eorum inſalubrem, atque inopiam rerum commodarum, & neceſſariarum, ad vitam & ſalutem ritè ſuſtentandam. *Divites* contrahunt iſtam Intemperiem, à Luxu, ab οἰνοφλυγίᾳ, à deſidiâ, & luſoriis multâ nocte lucubrationibus.

In hunc ferè modum iſte *Tumor* generatur: Cùm Pituita præternaturalis in corpore nimis coacervatur, Natura nititur omni ſuâ vi illam propellere à partibus principibus ad remotas, minùs nobiles, & inferiores, aut ad exteriores, ubi hærens & concluſa à Cutis denſitate, & frigidiuſculo ejus temperamento, utpotè ſubdiali, paulatim accumulatur in muſculis, tandemque efficit hunc *Tumorem* mollem, laxum, digitiſque prementibus cedentem, nempè Pituitâ molli prognatum, qui dicitur *Oedema*. Itaque hic Tumor non omnes corporis partes promiſcuè invadit, ſed imprimis manus & pedes, & nonnunquam Scrotum in Herniâ aquoſâ, aut etiam palpebras, maximè in fœminis,

nis, & mulieroſis. *Arabes* & *Avicenna* hunc *Tumorem* vocârunt *Undimiam*, fortè ab undâ vel aquâ, non inter, ſed ſubter cutim poſitâ.

Diæta *Oedemate* affectorum debet eſſe exſiccans; carnes aſſæ magis conveniunt quàm elixæ, aveſque montanæ & campeſtres, quàm domeſticæ vel aquatiles. *Vinum* moderatè ſumptum multùm conducit. Sed pauperibus maximè convenit *Diæta* è ligno vitæ, quod & *Sanctum*, aut è Guaiaco, cum paſſulis, aut liquiritiâ. Pro aliis potus conſtare poſſit, tàm *Sarſaparillâ* quàm *Guaiaco*, Chinæ radice, & ligno Saſſafras, cum Santalis, & Aromatis.

Ad revellendum humorem proſunt nonnunquam *Emetica*, æſtate ſi ità libet Antimonialia & Mercurialia, hyeme tutiùs vera *Epecacuanna.* Sin fuerit Tumor in manibus, exercitium, & præſertim obambulatio habetur utilis; ſi in pedibus, commoda eſt quies; aut etiam crurum frequens collocatio ſuper ſellam, ad præcavendum humorum deſcenſum. Notum eſt, quantum refert decubitus nocturnus ad hujuſmodi *Tumores* pauliſper diſcutiendos. Neque igitur facilis illa pedum levatio ſuper ſellam minùs conveniet in tumoribus *Oedematoſis*, quàm ſolet in *Ulcerum* pedis defluxione præveniendâ.

Venæſectio perperàm uſurpatur. *Tinctura Sacra* meritò laudanda eſt, ad expurgandum hunc humorem, quia ipſum Ventriculum, &

 Caput,

Caput, prima omnium defluxionum ſeminaria, mirè ſublevat & corroborat. *Hermodactyli* etiam potenter eliciunt, & expellunt humores ſeroſos ab extremis. Sed polychreſtum primarium ad ſiſtendas defluxiones, & diſſipandos humores impactos in his Tumoribus, eſt *Mercurius* dulcis, ad grana xv. vel ℈ j. in conſervâ.

Sed nè *Mercurius* ille agilis nonnunquam in nos illudat, & ſursùm mobilis *Salivationem* importunam ſuſcitet, prudentiæ erit ſæpiùs, idque maximè in fœminis, ejus agilitatem fræno cohibere, & *Sulphure vivo* cum *Mercurio* miſto, & in mortario ſimul agitato, motum ejus inordinatum reprimere & figere, ut olim monui in conficiendo *Æthiope minerali*. Et ſimilis prudentiæ erit, raró aut nunquam manè, ſed potiùs veſperi, *Mercurium* exhibere; eumque eligere multò magis *refrænatum*, quàm non coercitum, nè in Climate noſtro vario & mutabili, etſi ſanis ſat ſano, & præ aliis fortè omnibus felicitato, *frigus* incommodum ſuſcipiatur, *Cephalalgia* pertinax exindè oriatur, aut vires nervorum triſtiſſimè infringantur.

Hippocrates paucula habet de Tumoribus conſcripta, niſi quæ ſparſim legi poſſint in libro Prædictionum, in Coacis Prænotionibus, & in Aphoriſmis. *Galenus* lib. 14. Methodi cap. 4. tantummodò *Topica* huic Tumori conſulit adhibenda. Et primò omnium crura vult diligenter perfricari, aliàs oxyrhodino, aliàs oleo ſa-

lito,

lito, aut etiam oxyrhodino, cum ſalis vel aluminis aliquanto. Tùm parti deligandam ſuadet ſpongiam novam ſatis magnam oxycrato tepido madefactam, faſciâ leniter ab infrà ſurſùm conſtringente. Idem verò poteſt commodiùs perfici ſtupis mollibus oxycrato imbutis, quàm cum ſpongiis veterum Medicorum. Eandem curationem externam repetit *Galenus* in lib. 2. cap. 3. de arte curativâ ad *Glauconem*. Eandemque methodum conſecuti ſunt, in *Oedemate* curando, non modò cæteri veteres Medici, ſed & plerique recentiores Chirurgi. At verò animadverſione noſtrâ, ſi non reprehenſione quâdam digni videntur Medici illi veteres præclari, quòd *repellentibus* medicamentis, tàm in *Eryſipelate*, ut priùs notavi, quàm in *Oedemate* medendo nimioperè faverent. Sed fortè in illis ſuis regionibus noſtrate multò calidioribus, aut repellentia ſunt, aut doctis illis medicis ſunt viſa magis neceſſaria, in defluxionibus in genere, etſi in noſtris borealibus ea perſentimus eſſe *periculoſa*; & tunc docti illi Medici ſunt culpâ eò magis immunes. Etenim ut in æſtate atque hyeme variat apud nos ratio medendi, & medicamenta ritè variantur, ita apud illos tempeſtate plùs æſtuantes, *refrigerium* majus quàm nobis convenit, multis ex occaſionibus, poteſt haberi convenire.

Equidem pace veſtrâ multò magis laudarem *ſpiritûs vini* fotum repetitum in his caſibus, quàm repercuſſionem humorum qualemcunque per aſtringentia & repellentia; quantumcun-

que illis aſſueti fuerint unanimiter *Principes* noſtri. Et exiſtimo non minùs præſtare igneum illum ſpiritum & inflammabilem, in fotibus *externis*, quàm *Minium*, igne prægravatum, ſolet conducere, in *Emplaſtris*. Quinetiam exiſtimo, nihil eſſe pernicioſius, nihil tonum ventriculi magis ſubvertere, nihil plures juvenes ad inferos intempeſtivè præcipitare, perpotationibus ejuſdem *ignei ſpiritûs* largioribus nimiſque frequentibus.

Scultetus Ulmenſis, in Obſervationibus Armamentarii ſui Chirurgici, dicit nobiliſſimâ *Aquâ Calcis*, ſcilicet alterâ *Ignis* ſobole, per aliquot dies uſurpatâ, ſe multos *Tumores Oedematoſos* jam conſiſtentes diſcuſſiſſe. Et ſpongiam novam in eâ imbutam, parti affectæ calidè ſuperligat. Sed metu corroſionis, à *Calce vivâ*, ille partem priùs inungit oleo amygdalarum dulcium, vel axungiâ porcinâ veteri, antequam fotum voluit adhibere.

Denique ut hanc rem finiam; neglectis aliquando omnibus *Topicis*, miſſiſque evacuationibus uſitatis, ego *Tumores* pedum *Oedematoſos* molis prodigioſæ feliciter curavi, *ſolis* naturam *Corroborantibus*, & quo robore partibus Principibus reſtituto, imbecillitas illa partium inferiorum intrà ſeptimanam unam & alteram penitùs evanuit, pedeſque prægrandes priſtinam ſuam ac naturalem formam recuperârunt. Nempè id factum fuit, *Croco Martis* aperitivo, cum *Cortice Peruviano*, bis in die exhibito,

exhibito, & ſuperbibendo hauſtum vini *Rhenani*. Et hoc verum eſſe, teſtari poteſt Dominus *Griffin* non imperitus Pharmacopola; qui plures ejuſmodi *Tumores* eodem medicamento quod à me didicit, citò à ſe diſſipatos deinceps vidit. *Bolus* verò, quo *Oedemata* præfata curabam, & quem primò præſcribebam, pro Domino *Cornelio Lambert* in *Flandriâ*, anno D. 1695. fuit hujuſmodi: ℞. Pulv. cortic. Peruv. ℈ij. croci Mart. aperit. gr. viij. extract. abſynth. ℈ß. conſerv. roſar. ʒß. ſyrup. caryoph. q. s. f. Bolus veſperi & manè ſumendus ad duas ſeptimanas, ſuperbibendo hauſtum vini *Rhenani* optimi. Ex quo Remedio corroboranti pedes ejus viri maximè largi eorum quos memini me vidiſſe, intrà illud ſpatium ad naturalem ſuum ſtatum, abſque aliis, ſunt reſtituti.

A mollibus *Tumoribus* jam ad duros, vel *Scirrhum*, tranſeamus.

Scirrhus eſt duplex, *Primarius* vel eſſentialis, qui nullum habet morbum illi præcedentem, vel Secundarius ſive *Symptomaticus*, qui alios morbos conſequitur. Qualiſcunque horum *Scirrhorum*, aut arte imperitâ, aut naturâ contumaci redditur *Scirrhus Exquiſitus*, hoc eſt, duriſſimus ſimul ac inſenſibilis, & in quo nullus ſentitur dolor, à quâcunque compreſſione ille tentatur, ejuſmodi, inquam, *Scirrhus* eſt *incurabilis*, neque in præſentem noſtram conſiderationem venit. Quicunque verò *Scirrhus*, cùm comprimitur,

tur, dolorem aliquem percipit, curationem quidem, etſi plerúmque perdifficilem admittit. Itaque de hujuſmodi *Scirrhis* nunc agitur.

Veteres Medici, qui in regionibus calidioribus fermè degebant, & Diætæ refrigeranti erant maximè aſſueti, *Tumoribus calidis* unanimiter adhibebant *Topica refrigerantia* & *repellentia*, quorum uſu diuturniori non modò Tumores illi omnem ſuum calorem brevi tempore deponebant, utpotè adverſo frigore devicti, ſed & primò *livorem*, ac deindè *duritiem* quandam gelidam nonnunquam contrahebant, quæ durities imperitè tractata, nimis diuturnâ Topicorum refrigerantium applicatione, in verum *Schirrhum* ſe facilè convertebat. Et ex hujuſmodi illorum erroribus prodierunt *Scirrhi* qui dicuntur *Phlegmonodes*, *Eryſipelatodes*, & *Oedematodes*, quorum cauſa primaria habebatur Sanguis prædominans, aut Bilis, aut Pituita. *Galenus* lib. 2. ad *Glauconem*, cap. 4. ſatis diſſerit, de curando *Scirrho Eryſipelatode*, in *Cercyllii* cujuſdam filiolo, cujus femur totum fuerat redditum *Scirrhoſum* malâ hâc adminiſtratione refrigerantium adversùs *Eryſipelatem*. Et omnes ferè autores à *Galeno* ad hoc uſque tempus iſto curandi exemplo ad imitandum propoſito, aures noſtras obtuderunt. Quaſi repetita & diuturna applicatio nonnunquam *Malacticorum*, ut radicis Althææ, & ſimilium, coctorum cum adipe anſerino, vel medullâ cervinâ, poſt inunctionem oleo *Sabino*; & nonnunquam *Diſcutientium*,

ut

ut Ammoniaci in aceto acerrimo (idque in puerulo) ità mereretur celebrari in ſæcula ſæculorum, & inſigne ac primarium præberetur ſeræ poſteritati exemplum curandi *Scirrhum.* Et quaſi curatio adhibita in molliſſimo temperamento eſſet regula ad unguem exquiſita curandi *Scirrhos* in robuſtis & athleticis temperamentis. Sed & princeps ille Medicus, in eundem finem, tandem præclarè utebatur, in curâ parvuli *Cercyllii*, fumo aceti incenſi vel inflammati in ignito Pyrite, aut alio lapide ignito. Et *fumum aceti* conſperſi ſuper pyritem, vel laterculum ignitum, multùm probare libet, quia quàm proximè accedit ille fumus uſui externo *Spiritûs Vini* toties meritò laudandi. Nam *Acetum* veterum pænè omne fuit ex *Vino* factum. Neque illis tam innotuit Cereviſia noſtra, ad Acetum conficiendum, ut hodiè, apud nos, quia *Lupulus*, magnus ille cereviſiæ conſervator, fuit planè incognitus *Dioſcoridi*, *Galeno*, cæteriſque veteribus *Græcis* rei Medicæ ſcriptoribus, neque illis cognitæ *Deſtillationes* noſtræ Spirituum aut Aquarum. Multis vero dubium eſt, an majores noſtri fuerint nobis feliciores eâ ignorantiâ ſuâ *deſtillandi*, an abuſus noſter Spirituum Deſtillatorum ſit pernicioſior.

Ut curationes *Scirrhi* vulgares jam prætercam, quæ deſcribuntur ab altero poſt alterum doctum, eâdem & ipſiſſimâ plerumque methodo; nobis quidem videtur *cura Scirrhi*, ſiqua alia, potiſſimùm verſari, in exhibendo

Mercurio

Mercurio dulci ſub noctem debitis intervallis, & aliquando, ſed id rarò, Catharticum è ſennâ, helleboro nigro, & hermodactylis, manè inſequenti. Conjungi etiam his debet diuturnus uſus *Sarſaparillæ* copioſioris cum modico *Guaiaco*. Dicit *Fallopius* doctiſſimus, cap. 95. de Morbo Gallico, *Sarſam eſſe Reginam medicamentorum Venereorum, quia diſcutit Tophos, quodam quaſi Miraculo.* Et ait ibidem, *Lignum Indicum etiam digerit iſtos, ſed non ſimiliter, neque tàm facilè.* Attamen benè novi, pace *Fallopii*, Gummi Guaiaci, mirè conducere, etſi nè dicam *quaſi Miraculo*, ad Scirrhoſos Tumores incipientes diſcutiendos; idque Gummi *Reginæ Sarſæ* anteponerem. Cura autem Nodorum ſive *Tophorum* contumacium Venereorum, ab halitu venenato exortorum, videtur præſtare debere cæteris auxiliis, in diſſipando humore Melancholico aut Pituitoſo Tumorum, utcunque fuerit concretus, infixus, aut induratus, niſi etiam fuerit penitùs inſenſibilis.

Mercurius dulcis quàm parciſſimè retinet refrigerantem *Hydrargyri* naturam, quatenùs filius eſt ipſius ignis, & prognatus partim ab *igne*, partim à ſpiritibus *Nitri* igneis è *Sublimato Corroſivo*, prorsùs immutatur, ideóque ſubtiliſſimus redditus, in omnes corporis partes facilè pervadit, Tumores ſuccreſcentes diſſolvit, & ulcera paſſim ſcatentia mirè exſiccat. Hæc benè nôrunt *Chirurgi*, hæc etiam ineptè agyrtæ & barbitonſores.

A Cau-

A Cauſis ut plurimùm Internis, & ab erroribus admiſſis in ſex rebus non-naturalibus, aut etiam nimis ſæpè ab Inflammationibus partium malè tractatis, Tumores duri, perindè atque alii, originem ſuam ducunt. Itaque inter emolliendos ac diſcutiendos illos duros Tumores, non prorsùs immoremur externis *Topicis*, ſive ſint Cataplaſmata, Fotus, aut Emplaſtra, inſtar vulgarium Chirurgorum, ſed unà cum his Externis, prudenter adhibitis, oſtendamus nos eſſe *Medicos*, & Diætâ congruâ, atque medicamentis præſertim Internis, corrigamus pro virili humores peccantes, noxioſque expellere vel diſſipare, omni vi nitamur. Abundamus nos quamplurimis *Internis* & efficaciſſimis medicamentis, quibus majores noſtri præclariſſimi fuerunt prorsùs deſtituti, propter defectum tunc temporis *Navigationum* longinquarum, quibus noſtri nunc utuntur, per totum orbis terrarum circuitum.

Optima *Topicorum*, ad *Scirrhos* diſſipandos, poſtquam molliculi fuerint redditi Cataplaſmatis vel Emplaſtris emollientibus, habeo *Spiritum Vini* calefactum pro Fotu, & Diachylum pro Emplaſtro. Sunt qui radicem Althææ in ſpiritu vini macerant, & hoc medicamento fovent, aut diu inungunt illos Tumores ſatis feliciter. Sed quia aliorum exſiccantium, ſi nimia ſint, applicatio, *Scirrhis* eſt incommoda planéque noxia, quatenùs reliquam illam ac perexiguam in illis humiditatem abſorbent, tumoremque durum faciunt

duriſſimum, eâque ratione *Inſanabilem* reddunt, vindicare oportet paucis *Spiritum Vini*, & unà *Galenicam* evaporationem aceti, ab inferendâ illâ injuriâ, quam alia exſiccantia ſunt apta efficere.

Vapor ille quem exhalat *Acetum*, ignito ſilici, lateri, aut lapidi molari inſperſum, ab omnibus valdè probatur ad diſcutiendum *Scirrhum*. Id verò non præſtat, quatenùs *Acetum*, quod cogit & condenſat humores, atque æſtuantes non parùm refrigerat; ideóque *Acetum* ſæpiſſimè uſurpatum fuit à veteribus Medicis ad calidos humores *refrigerandos*, in *Eryſipelate*, *Herpete* ſimilibuſque affectibus calidis. Sed *diſcutit Acetum*, quatenùs exhalatio ſui Spiritûs ſursùm ab igne fertur & penetrat intimiùs, in Tumorem ſuperpendentem. Undè id ſic agere dicendum eſt, ut ſolet *Spiritus Vini*, ſub dio deſtillatus, aut exaltatus in *Spiritum*, non ut *acetum* ipſum. Et nos concludere fas eſt, *Spiritum vini*, & *Spiritum aceti*, ſive fuerit ſub dio incenſus, ſive organis communibus deſtillatus, ejuſdem omninò eſſe proſapiæ, eoſdemque ferè effectus ſalutares habere. Veruntamen laudo magis, & præfero in his caſibus uſum *Spiritûs Vini* communis calefacti, veteribus incogniti, quoniam duplex linteum vel laneum eo imbutum, & multoties parti adhibitum, commodiùs in uſum ducitur, magiſque permanet in parte, quàm aſperſio ulla utriuſvis in lapides ignitos, fugax ſcilicet, & facile diſſipata.

Quinetiam

Quinetiam *Spiritus Vini* ſic Tumori applicatus, partem imbecillam corroborat, calorem nativum fovet, putredinem arcet, humores ſuperfluos & præternaturales benignè abſorbet, ejuſque ſiccitas externè, non tàm indurat, quàm ſtatum partis naturalem videtur cùm conſervare tùm reſtaurare, gratâ & amicâ ſuâ vi & facultate penetrare intimiùs, Gangrænâ impendente ocyſſimè liberare, atque ab onere & infarctu noxiorum humorum partem prægravatam potenter expurgare. Et prætereà *diſcutit* Spiritus Vini diverſimodè ab aliis exſiccantibus, quatenùs omnes cutis Poros potentiùs aperit, humoreſque concluſos perſpirabiles reddit; quatenùs flatus furioſos, doloremque concitantes in *Tumoribus Inflammatoriis* compeſcit, & expulſioni idoneos redditos è parte ejicit & impellit; & quatenùs humores infixos & congeſtos præ aliis intimè penetrat, immobiles ſtupidoſque ſuſcitat, & quaſi vivificat, ut emolliti & exſuſcitati tandem loco occupato emigrent & excludantur.

Hæc habui de *Scirrho* breviter dicenda. Reſtat ut Autorum plerorumque ſequens exemplum, de *Tumoribus Scirrhoſis* minoribus pauca adjiciam, montibus ſcilicet monticulos quodammodò adjungens.

De *Verrucis* igitur breviuſculè, & de *clavis pedum* curandis paucula.

Quænam cauſa efficit *Verrucas*, ſive dura iſta tubercula, & cur *manus* præſertim aut facies fuerint illis interſtinctæ, non diſceptabo; ejuſmodi ſpeculationes viris Ingenioſis ſolvendas ultrò relinquens. *Fabritius* ab *Aquapendente* ait, *Verrucas* omnes ſe exterminare ſolere, ſolâ *portulacâ* contusâ, vel *ſabinâ* pulveratâ illis adhibitâ. Quæ quidem curatio, ab his & illis immodicè laudatur, ſed quæ longè præferenda eſt, ut longè tutior, ſepticis ſive exedentibus & cauſticis medicamentis, ut ſucco tithymalli, auripigmento, aquâ forti, aut calce vivâ cum ſapone, aut denique exuſtione. Interdum enim radices habent *Verrucæ*, quibus irritantia talia non conveniunt; quia ſic poſſunt in *Cancrum*, vel *Gangrænam* degenerare, quemadmodùm ſolent *ulcuſcula oris corroſivis* topicis irritata. Ego *Verrucas* ſæpè ſuſtuli, lentiùs quidem exedentibus, ſed certò, illiſque tutiùs, cum ſimplici ſolutione *ſalis Armoniaci* in aquâ communi, quæ ſolutio ſat ſæpè, diuque adhibenda eſt donec decidant *Verrucæ*, aut potiùs evaneſcant, planèque diſcutiantur.

Sed ut finiam: Nôrunt idiotæ compreſſionem calceolorum coarctantium ſolere callos ſive *clavos* iſtos digitorum pedis obducere. Poſt illorum deraſionem Emplaſtrum *Diachylum ſimplex* ſuperimpoſitum & alligatum, ſi ſatis diu geſtetur, tutò & certò inhibebit callos illos ſuccreſcere aut repullulare. Idem præſtabit

bit Galbanum coctum *Mynſichti*, in ſectione ſuâ 36, deſcriptum; idemque etiam efficiet emplaſtrata mollis illa *Cera Rubra*, quâ commodè utuntur boni & legales homines ad ſeſe ditandos, & clientes litigioſos depauperandos. Sed præ aliis pluribus, vobis laudabo *Regium* medicamentum, nimirùm nuperi *Regis Caroli* ſecundi, cui acumen & ingenium ſummum non defuit. Neque id fuit ignobile *Arcanum*, ſed multis à *Rege* magnificè communicatum. Nempè callo deraſo, *Linteum* mundum digito pedis involutum, & circumligatum, à ſuccreſcentiâ novi calli digitum ſenſim liberabit, ut raſura lintei ſimplex *Ulceribus* adhibita, ſæpè meliùs ſanare ſolet, quàm Unguenta Epulotica, quantumvis celebrata. Et cenſeo molle linteum in hoc caſu admodùm conferre, defendendo partem affectam à contactu vel compreſſione rei adverſæ; & opinor calloſitatem abraſam eo pacto à revertendo prohiberi, ſaltem æquè citò, ſi non certiùs, quàm *Sacer Contactus Regius Strumas* vulgò curare ſolet.

Quicquid verò ſentiendum eſt, de contemptis illis curationibus *Clavorum* pedis, fortè magis refert ſcire, curationem ſimiliter facilem, ſimplicem, & accommodam, affectûs pedum fœdi, & maximè exoſi. Dico de *fœtore* iſto *pedum*, omnibus perodioſo, quem neque frequens balneatio, neque aliæ pedum mundities valent auferre. Nimirùm *ſocci* recentes, è panno lineo cœruleo qui *Indico* tin-

gebatur, & quem ſervi infimi vulgò ſolent geſtare, cohibendi ſudoris gratiâ, *Oſnabrugs and fine narrow Blews* Lintearii vocant; *ſocci*, inquam, tales adaptati plantis pedum, eiſque adhibiti atque denuò alternati, ſi opus ſit, citò efficient, mirumque quidem in modum, ut *fœtor* iſte *ingratus* penitùs tollatur.

Has res leviores, *verrucas* manuum, *clavoſque* pedum, & ſimilia, quod tantillùm leviter perſtringam, coràm tantis Medicis, támque præclaris, oportet veniam aliquatenùs rogare. Sed favorem illum, & indulgentiam, quam ſæpiùs ſum expertus, à candore veſtro humaniſſimo non decet jam ſubdubitare.

DISSER-

DISSERTATIO X.

De Cancro.

Oct. 7. 1720.

DE *Scirrho* priùs dixi, quòd frequenter oriatur ex impensè refrigerantibus medicamentis nimiſque diu adhibitis *Phlegmoni* alicujus partis, idque præſertim *Eryſipelati*. Nunc tranſeamus ad *Cancrum* conſiderandum, qui ſæpè ſuccedit *Scirrho* malè tractato.

Cancri ſolent maximam ſuam tyrannidem in *Mammas* mulierum exequi, etſi nullis partibus, ſive externis, ſive nonnunquam internis parcunt. Ne ipſam *faciem* quantumlibet venuſtam miſerantur. Nè labiis parcunt, neque naſo, neque ori tenerrimo, ubi impropriæ, ac corroſivæ applicationes illis perperàm uſurpantur. Et ſæpè mirari ſubiit, undè acciderit, ut graves peritique autores tàm frequenter facilé-que conſuluerint, uſum *ſpiritûs vitrioli*, olei *Sulphuris*, aluminis *uſti*, aliorumque *Corroſi-*

vorum, in ulcuſculis illis *oris*, vulgò *Aphthis* denominatis; & quâ quidem ratione excoriationes leviſſimæ, puſtulæ innocuæ, aut minima illa Linguæ tubercula, à dentibus ſuo loco extruſis, vel frequente ac diuturnâ maſticatione attritis aut acuminatis, impropriè vexantur, & in *Cancrum* nonnunquam degenerant. *Errores* omnes periculoſi prudentibus *Medicis* ſunt ſemper vitandi, quanquam fortè contigerit permultos è junioribus, ſano corporis habitu gaudentes, diſcrimen iſtius erroris ſanis auſpiciis, vel optimâ corporis conſtitutione, devitâſſe. Decoctum corticis *Ulmi* deraſi, unà cum foliis *Saniculæ*, ex vulnerariis præcipuæ, paratum & gargariſatum, ea ulcuſcula citò, tutò, ac jucundè perſanare ſolet; quùm oris teneritudo vix unquam tutò aſperiora & irritantia medicamenta ferre queat. Idem etiam dicendum de aliis eruptionibus externis *Faciei*, meritiſſimè dictis, *Noli me tangere*, quæ vel tactum digiti ab ipſo illis affecto, ſine offensâ ac vexatione nequeunt unquam pati.

De *Carcinomate* incipienti in labio inferiori ſpeciatim dicam. Vir egregius, habitu Melancholico præditus, ideóque obnoxius atræ bilis injuriis incommodis, propter duriuſculum tumorem non parùm ſe excruciantem, in labio ſuo inferiori, ad inſignem *Chirurgum* ſe contulit, qui ſtatim illi conſilium dedit, ut *Lapide Medicamentoſo* in aquâ ſoluto tumorem ſæpè foveret, ſed paulò pòſt me conſulens, ante u-

ſum fomentationis, an ea foret ſibi tuta, ego illum prorsùs dehortabar ab iſto experimento periculoſo, eidemque conſului, ut ſæpiùs foveret tumorem dolentem cum ſpongiâ madefactâ in prædicto decocto corticis *Ulmi*, & foliorum *Saniculæ*; & quâ ratione illum à *Cancro* confirmato certò citóque præſervabam, tumoremque paucis, vel non multis diebus penitùs delebam. Quanquam enim ea medicamenta mediocri aſtrictione ſunt donata, ideóque conſolidandis ulceribus, atque *Herniis* puerorum inſerviunt, tamen ea tempeſtivè adhibita, quodammodò emolliunt, aut diſcutiunt, aut naturæ auxiliantur, in functionibus illis præſtandis.

In tuberculis illis Labiorum dolentibus tollendis, nihil plerúmque tutius, nihilque ſæpe efficacius, ſimplici *Terebinthinâ* ſplenio vel tæniolæ illinitâ, & adhibitâ, quouſque tumor primùm molliatur, ac deindè ſenſim diſſolvatur. Sed lotionem priorem cenſeo efficaciorem.

Exciſio *Cancrorum* oris & labiorum, & præſertim *Linguæ*, in ſummum vitæ periculum conjicere ſolet. Sed ſiquis talium *Tumorum* valdè pertæſus, animoque planè dejectus, ideóque ad omnem fortunam æquo animo ferendam paratus, non recuſat experiri operationem *excindendi*, quantumlibet periculoſam, nunquam deerit officioſus aut expertus *Chirurgus*, qui id officii alacriter ſuſcipiet. Generoſus mihi vicinus tali *Linguæ Cancro* dicto,

& moleſtanti, ſed non exulcerato, laborabat, & ſententiam meam roganti conſulebam primùm, ut quiſpiam dentes *Cancro* propinquos diligenter limaret, linteumque interponeret dentibus, *Linguæque* excruciatæ, quò meliùs frictio vel attritio partium mutua devitari poſſit. Sed ille neglectui habens conſilium illud ſimplex & honeſtum, aut morem gerens monitis amicorum importunis, famoſum tunc *Chirurgum, Carolum B.* ſibi accerſebat, qui ſtatim audacter ſuaſit, ut *Cancer linguæ* excinderetur. Cui conſilio temerario malè cautus ſeſe dedidit, utpotè fretus peritia viri multùm inclareſcentis, iſtamque operationem fortiter ſubivit, quâ protinùs peractâ, inſuſurrabat vir bonus, in aurem aſtantis, ſe nunquam priùs fuiſſe executum hanc *linguæ* operationem, niſi bis in vitâ, & utrumque illorum infœliciter *periiſſe.* Quam quidem veritatem ſi tempeſtivè pronunciâſſet, munere ſuo probè functurus eſſet. Quid verò præclarus hic operator in hoc tertio conſecutus eſt ? Paucis exindè diebus hic demùm ad plures abiit, duoſque priores miſerè comitatus eſt illuc, undè nemo unquam redit, ad conquerendum de malâ praxi, ſive *Medici* imperiti, ſive *Chirurgi* temerarii.

Ortus *Cancri* à *Galeno*, aliiſque Medicis præclariſſimis ad *atram Bilem* refertur, ut cauſam ejus primariam. Sed quanquam *Atra*, ſive deterior *Bilis*, in corpore prædominans (*Melancholiam* enim veteres permiſtè voca-

bant

bant tàm atram Bilem quàm atrum ſuccum, ſive humorem *Melancholicum*, etſi humor Melancholicus potiùs *Scirrhum*, quàm *Cancrum* gignit; quanquam Atra, inquam, Bilis ſit cauſa *Cancri* antecedens, tamen flatus indè exortus nobis magis videtur eſſe cauſa *proxima* & immediata. Etenim novi fœminas, quæ primo *Cancri* inſultu, vel in ipſo morbi primùm impetentis principio, ſibi videbantur in pectore transfigi quodam *jaculo* acuminato, quale quidem jaculum nihil tàm aptè poteſt exprimere, ut *Flatus*, ventus, aut ſpiritus concluſus, & quodammodo incarceratus, & ex quâ cohibitione furor & rabies flatum exagitat, nempè ità obſtitum atque repreſſum à libero ſuo tranſitu aut progreſſu. Sed agite, quàm diras excitat tragœdias eadem cauſa hic illic in corpore? Nonnè rabies ſpirituum irâ incenſorum morſus plurium animalium *venenatos* reddit, & maximè lethales? Quantos ſpaſmos vulgò ſuſcitat furioſus ſpiritus in *Colicâ*? Quantos dolores in *Cephalalgiâ*, in *Odontalgiâ*, in *Calculo*, & *Arthritide*? Quòd ſi flatus cohibitus glandulam teneram in mammis fortè occupaverit, quò tenerior eſt ea pars, eò ſeveriùs ejus vim confodientem illa perſentit. Et hinc cùm dolor graviſſimus, tùm inflammatio partis, fluxioneſque humorum inordinatæ. Hinc denique *Tumores* non modò *Phlegmonodes*, verùm etiam *Scirrhoſi*, & *Cancroſi*.

Fœliciter aliquando cecidit, ut *Dominæ* ità flatu ſubitaneo confoſſæ, dum ejularet, oppor-

tunè adeſſem, illique protinùs perſuadebam, ut pectus vel mammam quamprimùm illiniret *Balſamo ſulphuris terebinthinato*, & quâ illinitione carminativâ citiſſimè diſſipatus eſt ſævus iſte *Flatus*, & omninò profligatus, atque expulſus; nec unquam poſteà ad cruciandum rediit.

Quicquid verò ſtatuendum ſit, de *Flatu* concluſo aut circumvolanti, ut causâ communi & primariâ quamplurimorum, imò omnium morborum, juxtà *Hippocratem*, in libro de *Flatibus*; certè dolores obſtinati, quos ſuſcitat *Flatus* in mammis concluſus, facilè progignunt *Melancholiam* præternaturalem, quæ exuſtione diuturnâ magis magiſque degenerans, aceſcentem aut ſummè acidam qualitatem, & venenatam acrimoniam contrahit. Quòd verò talis, tantaque acrimonia in *Cancro* contrahatur, evidentiſſimè apparebit ex ſequente hiſtoriâ recentiore, non omnibus noſtrûm, ut opinor, obliteratâ. Dominus *Smith*, non ità pridem unus ex *Chirurgis*, qui dant operam Chirurgicam Noſocomio apud nos *Divi Thomæ* ampliſſimo, amputabat cujuſdam fœminæ mammam *Cancro* affectam, & cùm tunc temporis conſpexerat veſiculam in iſtâ mammâ deliteſcentem, quæ liquore quodam pellucido fuit repleta, ille curioſitate imprudentiſſimâ ductus, *guttam* iſtius liquoris voluit leviter deguſtare; ſed pœnas aſperrimas inſipientis ſuæ Curioſitatis exindè ſolvebat. Nunquam enim poſteà immunis fuit ab ingrato ſapore

iſtius

iſtius acerrimi & *venenati* liquoris, omnes ſtagnantes aquas ſuâ putrefactione, omnes fœtidas cloacas teterrimo odore fortè ſuperantis. Aliquot profectò menſes poſt fatale illud experimentum ſenſim elanguebat, priuſquam ab eo planè interficeretur. Sed *guſtus* iſtius liquoris inviſiſſimus ad extremum uſque ſpiritum in ore ejus permanſit, neque deleri quocunque modo potuit.

Et ſic ex odore virulento *Cancri* exulcerati, quem peſſimè expirabat uxoris *Cancer*, nuper miſerè periit *Collega* noſter doctus Dominus *Bellinger*, cui poſt uxoris obitum uſque ad ſuum interitum, ſemper in *naribus* permanebat, *odor* iſte ingratus & exitialis.

Cancer ferè definitur eſſe Tumor rotundus, inæqualis, durus, lividus, dolens, venaſque habens turgidas. Multa autores tradunt ad *Cancrum* ſat propriè ſpectantia, ſed non ſatìs explicant, undè tot ſæva diverſaque ſymptomata in *Cancro* ſolent concurrere.

Tumor eſt in principio exiguus, fabæ aut ciceris magnitudine, iſque præſertim in mamillis conſpicitur, aut in naribus, aut circà reliquam faciem, ac deindè augeſcit, quemadmodùm ignis luculentus ex ſcintillâ. Non totum articulum, ut *Arthritis*, occupat, non muſculos latè, ut *Rheumatiſmus*, non fauces cumulatè, ut *Angina*; ſed acutâ quâdam penetratione, aut ex glandulâ impetitâ adigitur

in

in cutim, aut ex puſtulâ vel tuberculo impropriis medicamentis adhibitis laceſſito, primùm exoritur.

Tumores ferè omnes in *Rotundam* figuram naturaliter incidunt, à quocunque humore illi proveniunt; ſed quò tenuior eſt humor illos efficiens, eò proclivior eſt reddendo *Tumori* magis *Rotundo* & æquali. Quò craſſior eſt humor *Tumorem* excitans, eò major eſt *Inæqualitas* in externâ ejus ſuperficie. Et hinc in *Elephantiaſi*, quùm craſſus, terrenus, & Melancholicus humor, in *atram Bilem* verſus, plurimùm exuperat, quot & quantæ cutis inæqualitates, rugæ, & fiſſuræ, in facie, in manibus, pedibuſque *Elephanticorum* conſpiciuntur. Tumque in illis verrucæ plurimæ ſuccreſcunt, variaque prominent tubercula. Sed differunt in eo *Cancer* & *Elephantiaſis*, quòd *Cancri* inæqualitas loco corporis particulari determinetur, quùm inæqualitates *Elephantiaſis* fuerint univerſæ, perque totum corpus diſpertitæ.

Cancer Duritiem ſibi aſciſcit tactuique renititur propter terrenam illam craſſamque humoris qualitatem; idemque *lividus* evadit, utpotè humoris interni referens colorem, cùm in principio ſolummodò plumbeus aut fuſcus, ſed deindè pro malignitatis progreſſu magìs magiſque *lividus* nigricanſque apparet.

Dolor

Dolor Cancri fit pungens vellicanſque, propter *Atræ Bilis* acrimoniam, & diſtentionem membranarum, partiumque nervoſarum, tàm ab influxu acrium humorum, quàm a flatibus turbulentis. Neque mirum eſt, morbum à *flatu* exortum tantis doloribus poſſe excruciare, cùm *Glandulæ* omnes, & præſertim Mammarum, exquiſito ſenſu donentur, propter *Nervum* in unaquâque Glandulâ terminantem, pariter atque arteriam, venam, & lymphæductum. Etenim *flatus* ſimiliter in Perioſtio articulorum incluſus *Arthriticos* dolores acerbos ſuſcitare ſolet, à diſtenſione membranæ quæ aut nectit oſſa aut ambit. Idemque ubicunque fuerit incluſus, membranam pungit, & *inflammationem* partis progignit.

Denique *Cancer venas* ſuas habet *turgidas*, & varicoſas, hinc indè diſſeminatas, nimirùm à ſanguine craſſo, grumoſo, & melancholico, qui ad ſtagnandum obnoxius eſt, partim à propriâ ſuâ craſſitie, & partim à motu ſuo intercepto per tumorem illum inæqualiter ſe expandentem, venaſque alicubi anguſtantem, adeò ut tenuior ſolummodò & ſeroſior pars ſanguinis poſſit circulari, craſſior interim reſiduus, mole accreſcens, & coagmentatus, venas dilatet & amplificet. Sic verò venter *prægnantium* fœtu onuſtus aut prægravatus, ramum Iliacum utrinque comprimere ſolet, & femora tibiaſque illarum reddit venis turgida ac varicoſa. Sed hoc Signum à *Venis Varicoſis*

coſis non eſt *Pathognomonicum*, cùm in multis *Cancris* nequaquam apparent.

Et ſic viſum eſt nobis varias *Cancri* proprietates modò definitas quodammodò dilucidare. Nunc ad ejuſdem *curationem*, ubi datur medendi facultas, tranſeamus.

Sed imprimis diſtinguendum eſt, inter *Cancrum Vlceratum*, & *non exulceratum*. *Vlceratus* conſenſu omnium Medicorum nullam admittit curationem, niſi palliativam. Sed non ulceratus aliquandò capax habetur ſalutaris, licèt difficilis, curationis. Et hoc genus *Cancri* vulgò dicitur *Occultum*, non propriè, quia tumor iſte in parte externâ manifeſtus eſt. *Cancri* propriè *Occulti* in viſceribus latent aut abſconduntur. Itaque de *Cancro non ulcerato* & conſpicuo jam loquimur, cùm de Curatione ejus aggrediendâ diſſerimus. Id vitium *Carcinoma* appellat *Celſus*, à καρκίνος piſcis, idque maximè ſolet contingere in ſuperioribus corporis partibus, circà faciem, nares, aures, labra, & mammas fœminarum. Quibus etiam adjicere oportet os & linguam, cùm tenera oris ulcuſcula, linguæque tubercula *corroſivis* adhibitis præpoſterè *irritantur*. Honeſtè dicit *Celſus*, *Carcinomati* non exulcerato nihil commodiùs poſſe apponi ficu quam pinguiſſimâ, vel Emplaſtro ῥυπώδει ad extrahendum accommodo, & quod ab illo deſcribitur lib. 5. cap. 19. Ejuſmodi verò applicatio tutiùs fieri debet in *Cancro* exiguo, & incipienti. Magnitudo enim

nim tumoris ſignificat majorem ejus malignitatem, majuſque ejus diſcrimen. Ego nihil ſoleo conſulere adhibendum, niſi novum pannum laneum duplicatum.

Pergit *Celſus* tàm probè quàm ſapienter, lib. 5. cap. 26. de *Carcinomatis* curatione: Nihil *Cancri* tolli niſi κακοήθες poteſt, reliqua curationibus irritantur. Et *quò major vis adhibita eſt*, aut quò magis ſæviret *Cancer*, *eò magis quidam uſi ſunt medicamentis adurentibus; quidam ferro aduſſerunt; quidam ſcalpello, exciderunt. Neque ulli unquam medicina proficit. Sed aduſta protinùs concitata ſunt, & increverunt, donec occiderent. Exciſa etiam poſt inductam cicatricem, tamen reverterunt, & cauſam mortis attulerunt; quùm interim plerique nullam vim adhibendo, quâ tollere id malum tentent, ſed imponendo tantum lenia medicamenta, quæ quaſi blandiantur, quò minùs ad ultimam ſenectutem perveniant, non prohibentur.*

Hoc profectò *Celſi* conſilium ſanum eſt, prudens, dignum viro probo, *Medicoque* inſigni.

Galenus, qui poſt *Celſum* floruit, in *Cancro* incipienti conſulit, l. 14. Methodi cap. 9. ſolummodò purgationem humoris melancholici, per *Epithymum* in ſero lactis, aut per ſuum compoſitum, è 32. medicamentis ſimplicibus conſtans. Et hoc compoſitum *Ætius* appellat *Hieram Galeni*, quæ tamen continet ſolummodò

ſummodò 28 Simplicia. Sed *Hiera Logadii*, ſive ſacra ejus compoſitio, plus cæteris ſuccum melancholicum expurgat, juxtà *Actuarium* in libro ſuo 5. Methodi Medendi; & hæc *Logadii* compoſitio videtur eſſe vera *Hiera Galeni*, utpotè continens accuratè 32 *Simplicia*, quemadmodùm *Galenus* voluit è totidem ſuam conſtare, atque hæc deſcribi ſolet in noſtrâ Pharmacopœiâ. Confectio etiam *Hamech* in eundem finem eſt egregii uſûs.

Sed neque *Galenus* magis *Celſo* videtur ſuam approbationem *operationum Chirurgicarum* in *Cancro* ſignificare, cùm ibidem dicit: Siquando *Cancrum* per *Chirurgiam* curare *audebis*, incipias purgatione. Vir dicitur *Audax*, qui plus animi quàm conſilii habet, plus temeritatis quàm prudentiæ. *Chirurgia* eſt Ars ſanè utiliſſima, & maximè neceſſaria, ſi probè exerceatur, ſi magìs in ſalutem publicam, quàm quæſtum privatum adhibeatur. Quòd ſi *amputationes* membrorum fiant ſine urgente neceſſitate, in *Ulceribus* aut *Vulneribus* curabilibus, lucri ſcilicet causâ, vel ad moleſtiam diuturniorem evitandam, ſceleſta eſt & inhumana *Amputatio*.

Nimis ſeverum eſſet, omnes *Cancrorum Amputationes* ut iniquas reprehendere. Sed ſummum pereundi diſcrimen, paulò poſt operationem, nunc ex hæmorrhagiâ vaſorum pertinaci, nunc ex dolore à ferro & igni alternantibus, nunc ex Convulſionibus, aut Deliquio animi,

animi, in debilitatis; curandi etiam incertitudo, poſt tàm diram ſtragem, & frequentia Recidivæ alicujus repullulantis, ſiquis fortè operationi ſuperſit aliquantiſper; hæc omnia multùm dehortantur, ab experimentis tàm periculoſis, vel ſaltem bonos reddent cautiores à præproperè ſuſcipiendis auſis tàm dubiis & ſuſpectis.

Quòd verò nulla neceſſitas requirat, in curandis *Cancris*, confugere ad remedia extrema, vel violentam & periculoſam illam *operationem Chirurgicam*, partim inducor ut credam, cùm animum adverto in ſequentem curationem *Cancri* mitem, innocuam, neque tantulùm inculpandam, quam vobis jam narrabo. Domina *Harding*, quæ etiamnùm habitat apud *Hamſtead*, *Cancro* excruciata in mammâ ſiniſtrâ, ſe contulerat, ut mihi affirmabat, ad duos inſigniores noſtrorum Chirurgorum, Dominum *Blondel*, nunc multò deſideratum, Dominumque *Brown* Satellitiis Regiis diu laudabiliter inſervientem. Ambo illorum Tumorem probè conſpicientes, citò pronunciabant eum eſſe *Cancrum*, & eſſe *incurabilem*. Quo triſti Prognoſtico illa perterrita, me paulò pòſt adiit, conſulendi cauſâ. Ego maximè præſcribebam illi pulverem *Ligni ſancti*, radicis *Sarſaparillæ*, & *Santali* citrini; quem pulverem ſumebat utplurimùm ter in die, in aquâ communi, & paucis menſibus mihi lætè rediebat, *à Cancro* planè libera, & ab omni dolore, inæqualitate, tumore viſibili, fuſco co-

 lore,

lore, & duritie ſuâ vacua. Extrà permittebam mammæ adhiberi ſolummodò pannum laneum levidenſem conduplicatum, ut pars à frigore conſervaretur, foretque tepefacta. Sic *Numini Supremo* placet Simplicibus & innocuis Auxiliis aliquando benedicere. Quandoquidem verò *Fotus* cum *Spiritu Vini* tàm proſperos habeat ſucceſſus in compluribus *Inflammationibus* ſedandis, quod fuit uberiùs demonſtratum, in Diſſertatione 5. ut & rurſùm in Diſſert. 7. pag. 123 & 124. nequeo dubitare, quin idem *Fotus* præſtantiſſimus poſſit egregiè inſervire cruciatibus *Cancrorum* ærumnoſis plurimùm mitigandis & ſublevandis, ſi minùs valeat penitùs tollendis. Et certò conſtat, nihil nocumenti ex uſu hujus *Fotûs* poſſe contingere, cùm multæ aliæ *Cancro* applicationes dolorem intendunt, & ſæpè oleum flammæ adjiciunt. Poſt *fotum* lamina *Plumbi* tenuis parti adhibita mirè conveniet, ad acrimoniam humoris retundendam, & madorem ejuſdem exudantem tutò exiccandum. Interim ſic affectis perutile erit frequenter bibere de Apozemate confecto cum radice Sarſaparillæ & Chinæ, ſantalo citrino, Antimonio crudo in nodulo ligato, additiſque, ſi libet, paſſulis majoribus.

Siquod Emplaſtrum *Cancro* non exulcerato adhiberem, aliis omnibus Emplaſtris ego anteponerem *Emplaſtrum de Minio*, ut præſtantiſſimum, cùm ita viſum Experientiâ mediocri noſtrâ, tùm quia Magno noſtro *Harveio* præ aliis,

aliis, in *Cancro*, hoc *Emplaſtrum* etiam placuit; ut id didici ab inveſtigatore medicamentorum diligentiſſimo, & multo rerum uſu conſultiſſimo, Domino *Hans Sloan Baronetto*, nunc *Præſide Collegii* inſigniſſimo Quinetiam verè dicere poſſum, me in doloribus mammarum, qui in metum futuri *Cancri* fœminas conjecerunt, nonnunquam adhibuiſſe *Emplaſtrum de Minio*, in linteo extenſum, & à me priùs deſcriptum in Diſſert. 8. & quâ ratione facilè citóque dolores iſti ſunt conſópiti, & ab omni *Cancri* metu incolumes ſe præſtiterunt.

In *Curandis Cancris* mulierum, ſemper inquirendum eſt, an ſupprimantur *Menſes*, ut Saphænâ inciſâ, Peſſariis ex Helleboro nigro, aliiſque Menſes moventibus quamprimùm revocentur, eoque modo dira Symptomata partem infeſtantia leniantur aut amoliantur. Priùs dictis adjiciam, *Galenum* libro 2. ad *Glauconem* cap. 10. dicere, ſe ſæpè *Cancrum* ſanâſſe, per ſui initia, purgantibus humorem melancholicum medicamentis, aliquoties repetitis.

Et hæc ad *Artis peritos* hactenùs dicta ſunto. Nunc deflectamus ad *Empiricos*, & Impoſtores, qui infallibilem *Morborum Incurabilium* vulgò promittunt curationem. Latrones ipſi ſunt viri probi, comparatè ad hos perfidos nebulones, qui mendaciis & præſtigiis multos graviter opprimunt, non audent

vi apertâ eoſdem adoriri. Quidam hujuſmodi circulatores *fruſta carnis*, vitris incluſa, ſpiritu conſervant, *Cancros* amant iſta appellare, & ſpectanda aliis circumferunt, pro partibus *Cancri* exeſis, miræque illorum curationis reſiduis teſtimoniis. Et hi perditi homicidæ, dimidio pretii pacti priùs accepto, *Cauſticis* medicamentis & *corroſivis* exedentibus, *Cancrum* tentant, donec tandem vaſis ſanguinis exeſis, tantum ejus flumen erumpat, ut unà cum ſanguine profluenti, vel paulò poſt, vita ipſa miſerè effletur.

Neque minùs dolendum eſt, plures apud nos oberrare perfrictâ fronte mulieres, quæ certiſſimam & infallibilem *Cancrorum* omnium curationem audent polliceri, eâque audaciâ ſtrepitantes ſolent mulierculas incautas in retia ſua allicere, ut lucello aliquo ex illis nacto mortem illis accelerent, inſulſis ſuis & impropriis applicationibus. Memini unam ex hujuſmodi impoſtoribus Dominam egregiam, mihi benè notam, & cujus ſaluti providere nonnunquam ſolebam, dum in *Flandriâ* medicinam *Familiæ Regiæ* facerem, his blanditiis compellâſſe: *Ego plures centenas, ego plures centenas, Cancris laborantes, fœliciter curavi.* Quam quidem poſt aſſeverationem circiter decies repetitam, ea Domina interrogabat: Ecquam fœminam, bona, curâſti? Nomina mihi unam, ſolummodò unam illarum totidem, quas tu ſanâſti. Quâ percontatione urgente & improvisâ conſternata deceptrix ſe citò ſubducebat,

ducebat, nihil habens quod reſponderet, *nullam* habens curatam quam nominatim proferre poterat.

Si in locis ſolummodò incultis & agreſtibus, ubi deſunt *Medici* docti, Impoſtores iſtiuſmodi oberrarent, ignaris miſeriſque paucis mendacia ſua venditantes, certè Crimen eſſet nefandum, & multò deflendum; ſed in hâc *Urbe* ampliſſimâ, & frequentiſſimâ, ubi *Rex* ipſe in ſolio reſidet, ubi *Nobiles* totius Regni cum familiis ſuis confluunt, ubi *Ordines Regni ſummi* quotannis conveniunt, ubi *Leges* ſanciuntur ad omnia gravamina corrigenda, ubi denique ſtabilitum eſt *Collegium* præclariſſimum *Medicorum* doctiſſimorum & peritiſſimorum; ſi, inquam in hâc *Urbe Magnificâ* hi audaces & temerarii homicidæ jam permittantur impunè graſſari, non licet id acceptum referre, defectui *Regiarum* gratiarum aut privilegiorum *Collegio* noſtro conceſſorum, vel Legum coercivarum ſtabilitarum, aut *Cenſorum* noſtrorum incuriæ; ſed potiùs quorundam aſtutorum & captioſorum technis, qui crumenas luxuriantes exhaurire benè nôrunt, qui in declarationibus noſtris accuratiſſimis verborum Mæandros conquirunt, qui flexuoſis ſermonibus vincula bonarum *Legum* ipſi nonnunquam perrumpunt; & qui in omni *ſcirpo* vel negotiolo noſtro, in gratiam Empiricorum, amant *nodum quærere*, aut fabricare.

DISSERTATIO XI.

De Gangrænâ & Sphacelo.

Oct. 9. 1721.

CUM plura jam priùs dixerim de *Tumoribus* calidis frigidiſque, & quædam de cutaneis affectibus, ut & de Ulceribus atque Vulneribus, & cùm ex multis eorum, aut contemptis, aut malè tractatis, aut in corporibus δυσκρασίᾳ langueſcentibus, nonnunquam ſuperveniat *Gangræna*, horrendum quidem ſymptoma, & *Sphacelus*, extremum omnium, non inutile nobis videatur, pauca de *Gangrænâ* & *Sphacelo* nunc diſſerere.

Non poſſum non multùm admirari, undè exteri omnes, tàm docti quàm indocti, *Gangrænam* vulgò vocaverint *Ignem Sancti Antonii*, cùm noſtri unanimiter illo Titulo inſigniunt ſolummodò *Eryſipelata*: Quis verò poſſit dubitare, in *Italiâ* Magnum illum Sanctum egregiè ſe geſſiſſe, & plura in populum munia miſericordia laudabiliter obiiſſe? Cùm Mendici omnes in *Lombardiâ* ſolent

Eleemoſynam maximè implorare, venerando nomine Sancti *Antonii.* Et certè multâ obſervantiâ dignus eſt ornari, quicunque Sanctus in *Italiâ*, regione calidâ, ſemimortuos à *Gangrænâ* valet reſtituere, & in *Angliâ* longinquâ, affectûs calidi & exurentis tutelam & patrocinium benignè ſuſcipit.

Gangræna eſt incipiens & imperfecta mortificatio; *Sphacelus* eſt perfecta & totalis partis alicujus mortificatio. Sic ritè & propriè apud doctos diſtinguuntur; ſed nos cum vulgo loquentes, ut ſæpè convenit & oportet, niſi nugaces & phantaſtici volumus haberi, utrumque morbum *Gangrænæ* nomine promiſcuè inſignimus. Cùm è contrà *Chirurgi* noſtri partem utroque affectu percuſſam amant vocare *Sphacelatam.* Sed *Græci*, primi noſtræ Artis Magiſtri, utrumque morbum, ut nos, *Gangrænæ* nomine complectuntur. Et ſic *Hippocrates* eſt intelligendus in Aphoriſmo 50. Sectionis ſeptimæ. ὁκόσοισι ὁ ἐγκέφαλος σφακελισθῇ, &c. *Quibus cerebrum Sphacelatum eſt, intrà tres dies intereunt. Quod ſi hos effugerint, ſani evadunt. Galenus* in hunc Aphoriſmum dicit, *Gangrænam* per *Sphacelum* debere intelligi. Et ſenſus communis eandem interpretationem confirmat. Quis enim tàm ſtupidus, ut putet partem verè mortuam, ſive *Sphacelatam*, etſi ea fuerit minoris dignitatis in corpore, poſſe quocunque modo reſtitui, *ſanamque* evadere. Poteſt, & debet *amputatione* tolli, & à cæteris *ſanis* ſic ſeparari. Sed *Cerebrum*, pars principalis Dignitatis, & ſuprema corporis,

quæ eſt ſedes primaria functionum animalium, & quæ continet *Glandulam* iſtam *Carteſianam*, undè exorti ſint vortices imaginarii, & tanquam è ſeminario, plures lendiculi docti; *Cerebrum*, inquam, ipſo *Sphacelo* putridum, quomodò poſſit *ullis diebus* reſtitui, reviviſcere, & poſtrema inſtantia effugere, nequeo equidem comprehendere.

Itaque Cauſæ, Signa, & *Curatio Gangrænæ* ſunt nobis nunc examinanda. Frequentiſſima omnium Cauſa, licèt non ſit ſola *Gangrænæ*, eſt intenſa *Inflammatio* partis. Quarè *Galenus* nullam aliam ejus *Cauſam* agnoſcit vel deſcribit, in libro 2. ad *Glauconem*, cap. 9. ubi de Cauſâ & Curatione *Gangrænæ* diſſerit. Et nuncupat *Gangrænas*, quæ ex magnitudine *Inflammationis* nondùm ſunt factæ, ſed ſunt in fieri, aut brevi futuræ ſunt *Mortificationes*. Itaque *Inflammatio*, quæ tendit ad Mortificationem, *Gangræna* nominanda eſt. Sed difficultas quædam videtur, in comprehendendo quomodo calor partis intenſus poſſit morbum frigidiſſimum, omni ſenſu omnique calore deſtitutum progenerare. Quod quidem dubium leviter tantummodò attingunt aut fermè prætereunt autores clari. Certum eſt verò magnum Incendium omnia in cineres citò redigere, formas rerum tranſmutare, & niſi tempeſtivè extinguatur, nativum ſtatum furibundè abolere. Et gravis combuſtio partis *externa* nonnunquam *Gangrænam* comparabit, æquè ac *inflammatio* partis *interna*. Certum eſt etiam

Inflam-

Inflammationem efficere Tenſionem, ex affluxu humorum concomitanti, eamque Tenſionem ſive partis ſive membranarum præternaturalem ſævos dolores excitare; qui dolores corporis, qualeſcunque aut quanticunque ſunt, talem inquietudinem tantamque animo concitant ægrè affecto. Exindè dolor vires opprimit, eaſque idem permanens facit omninò ſuccumbere. Et denique viribus à dolore deletis, *vita* partis prægravatæ, & cruciatibus exhauſtæ, ſenſim perit, & locum dat *Gangrænæ*. *Calor* porrò intenſus tumefacit partem, humoribus ſuperfluis replet, omnemque illorum *tranſpirationem* è parte inflammatâ prohibet, ut *febris* exurens illorum exitum intercludit è poris totius corporis; quin & incendio ſuo ingenti temperiem partis nativam ſubvertit, ſpiritus eam vivificantes peſſundat, ſuffocat, & interimit. Undè ocyùs occurrendum eſt *Inflammationibus*, quæ ad *Gangrænam* tendunt. Siquidem *Inflammationes* pænè omnes, ſi perſiſtant, aut irritentur aliquamdiu `impropriis medicamentis aut applicationibus, facilè ſunt obnoxiæ *Gangrænæ* inſecuturæ: Quia vires corporis, & præſertim partis affectæ, ab illis franguntur, opprimuntur, & tandem funditùs delentur.

Sanè *Peſtem* & *Malignas Febres* eſſe ſummè *Inflammatorias*, teſtantur præſertim *Stigmata Peſtilentialia*, livida, nigra, cyanea aut cœrulea, ſive *mortificationes* per corporis ſuperficiem diffuſæ, & à ſummâ *Inflammatione*

illas diffuſas præcedente oriundas. *Carbunculi* aut *anthraces* ardentiſſimi, carnium putrilagines, Bubones Peſtilentiales, ſive Tumores graviſſimè cruciantes, & in *Abſceſſus*, legitimam progeniem *Inflammationum* terminantes, & denique os ventriculi *ſphacelatum* in cadaveribus *Peſtilentibus* repertum, propter halitus calidiſſimos à vicinis viſceribus inuſtos & ſursùm aſcendentes; ut nihil dicam de Petechiis, faucium inflammationibus, aliiſque Eryſipelatoſis, atque horrendis Febrium malignarum ſymptomatis. Sed & ipſa *curatio* ejuſmodi *Febrium*, ſi fortè contigerit, idem demonſtrat, cùm futura ſit per *Sudores* vehementiſſimos, nunquam præproperè interpellandos, & qui ab incendio interno erumpenti foràs emittuntur, & expelluntur. Quinetiam *Febres* alias *Acutas* ſive *Putridas*, eſſe reapſe *Inflammatorias* (etſi *Inflammationes* partium ſingularum illam denominationem magis uſitatè, & vulgariter aſſumunt) teſtantur præſertim *ardor* exurens *Cutis*, maxima celeritas *Pulsûs*, *Lingua* arida, *Sitis* magna, aliaque ſymptomata, quæ ex calore aucto, perſpiratione interpellatâ, & humoribus paſſim commotis, atque in *Ventriculo* præſertim exagitatis, multùm pendent, non ità ex flammâ, vel *Flammulâ* fictitiâ *Cordis*. De *Febribus* verò, quæ cum *dolore* partis inſigni conjunguntur, nulla eſt dubitatio, cùm omnium Medicorum conſenſus declarat illas eſſe *propriè Inflammatorias* Quanquam & his iſta, ſive autorum dubitatio, de *Febrium Acutarum* ha-

rum vel illarum *Inflammatione*, ſit de verbis non de rebus diſceptatio. Quòd ſi tranſeamus ab *Inflammationibus* vehementiſſimis conſiderandis ad minores aut minimas, quoad magnitudinem partium affectarum, ſæpè illas contemptas & ludificationi Chirurgorum inſervientes, *funeſtos* nonnunquam exitus, nimirùm *Cancros*, *Gangrænas*, & *Sphacelos*, ex levibus *Vulnuſculis*, *Ulceribus*, aut *Puncturis* malè tractatis, obſervare poſſumus. Dixi ſuperiùs, cùm de *Ulceribus* differerem, quantæ & quàm periculoſæ *Inflammationes* nonnunquam contigerint ex puncturis digitorum manûs, & deraſione nimiâ & nocivâ clavorum pedis, ab *oleoſis*, *unguentis*, & *emplaſtris* præpoſtere adhibitis; & quàm facilis fuerit puncturarum iſtarum, & vulnuſculorum curatio ſolummodò obſervando, & ſequendo primum illud præceptum *Hippocratis* de *Vini* uſu externo, in principio libri ſui de *Ulceribus*: Quin & uſum ſaluberrimum ejuſdem præcepti præclari aliquoties vobis inculcavi, cùm de *Vulneribus* & *Ulceribus* diſceptarem.

Ad omnes *Inflammationes* partium maturiùs compeſcendas, nihil internum exiſtimo ferè utilius aut efficacius, ſolutione unius unciæ *Nitri*, in libris duabus vel tribus aquæ communis, addendo *Coccinellæ* grana duodecim, ſacchari uncias tres; ſi nempè biberit ægrotus uncias quinque vel ſex tertiâ aut quartâ quâque horâ. Et *Nitrum* ipſum præfero ad refrigerium partium comparandum, *Sali prunellæ*, quæ conficitur ex *Nitro* ab igne

fuio.

fuſo, & cum *floribus Sulphuris* accenſo. Quin & omnibus Emulſionibus refrigerantibus, in eundem finem, *idem Nitrum* ſic exhibitum poteſt vel anteponi, vel æquiparari.

Sed quæret fortaſsè quiſpiam lepidus, ſi *Gangrænæ* toties acciderint, ex *Inflammationibus* partium, & ex adhibitâ in illis praxi imperitâ, quomodò poſſit unquam contingere, ut *Magnus Imperator*, non *Perſicus* iſte *Cambyſes* ſed hujus ſeculi, *Ludovicus* ille *Magnus*, nuperus terror orbis *Chriſtiani*, *Gangrænâ* affectus & deletus fuerit, in *pedibus* ſuis *Magnificis*, quibus diu (heu quamdiu!) conculcaverat vicinas omnes Provincias, & quibus prope protriverat omnes Poteſtates *Europæas*, niſi *Dux Anglicus* inviƈtiſſimus vim vi fortiter repulerat; cùm interim ſtipatus ille fuerit, communituſque *Medicis* pluribus *doctiſſimis*, *Galliciſque Chirurgis* peritiſſimis. Verùm enimverò ità ſtatutum eſt *Legibus Naturæ* ſuſpiciendis, quæ ſunt ſancitæ longè majore Autoritate & Immutabilitate, quàm leges illæ qualeſcunque *Medorum* & *Perſarum*: Statutum eſt, inquam, ut Principes ſummi, pariter atque infimum vulgus, ſint ſubditi vel obnoxii pluribus infirmitatibus, *morbiſque* periculoſis, neque immunes ſint, quantumlibet excelſi, ab ærumnis communibus, & humanis calamitatibus. Quod ad *Regem* illum *Magnum* ſpeciatim attinet, fuit *Homo*, nequaquam *Immortalis*; fuit grandævus, & indulgentiâ quâdam *Naturæ*, ſive pro emendandis, ſive corrigendis

dis multis populis vicinis, plures attigit annos omnibus ſuis *Regiis Majoribus*; ſed ſplendidiſſimè vivebat, menſa dapibus elegantiſſimis, quas Ars Coquinaria aut exquirere aut excogitare poſſit, fuit abundè inſtructa; *Vinum* optimum *Burgundicum* quotidiè pro potu; oſtrea noſtræ *Colceſtriæ* illi deferebantur ſaltem bis in ſeptimanâ; & ſi *cœlis* deſcendiſſent, aut uſpiam gentium fuiſſent reperiunda, non illi defuiſſent *Nectar* & *Ambroſia*. Et non ità mirum eſt, hanc tantam menſæ Magnificentiam, quæ in *Rege* juvenili non eſſet adeò reprehendenda, poſſe plurimum lædere & *inflammare* corpus *ſenile*, tenerum, & pænè *octagenarium*. Sed & præ aliis *Gangrænæ* hujus cauſis, viſum eſt nonnullis principem locum obtinere, quòd impulſus ardenti Zelo ſive permiſerit, ſive imperaverit, ut permulti innocentes viri, indigenæ ſibique ſubditi, aut in arce *Pariſienſi*, aut in carceribus ſubterraneis abditè putreſcerent, & ex *Gangrænâ* perirent, propterea quòd in *Sacris* non poterint obtemperare ejus libito, arbitrio, aut *Edictis* obſecundandis. Sed arcana Imperii ſæpe ſunt ſupra captum inferiorum.

Dixi hactenùs de *Gangrænâ*, quæ ex *Inflammatione* partis exoritur, ſive incendium illud primò exarſerit, à cauſis internis, aut erroribus variis in Diætâ, ſive fuerit ex applicationibus externis parti impropriis. Et hujuſmodi *Gangrænas* præcedunt cruciatus graviſſimi, eoſque propè imminentes concomitatur *coloris* immutatio ex *rubicundo* primùm in *flavum*,

vum, deindè in *fuſcum* aut *lividum*, & denique in colorem *nigricantem*. Et tandem Tumor, qui fuit tenſivus, ex conferto humorum affluxu, & ſpiritibus tumultuantibus, flacceſcit, & mollis evadit, inſtar *Oedematis*, aut pomi putridi, adeò ut ſi pungatur aciculâ, vel ſcalpello conſcindatur pars affecta, nullum omninò, aut minimum perſentiat ea dolorem. Addo etiam *Signum* notatu dignum : Nempè ſi pars non recurrit, vel non redit in priorem ſuum ſtatum, poſtquam digito fuerit compreſſa, ut ſolet in priſtinum ſtatum regredi pars digito compreſſa in *Oedemate*, ſignum eſt *Gangrænæ*, feréque profundæ.

Gangrænam ex cauſis *Venenatis*, unà cum ſatellitio ſuo ſymptomatum deplorato, quæ *Febrem Malignam* concomitantur, qualia ſunt ſævi Dolores, Vomitus, Syncope, Delirium, & nigra plerumque macula ſub puſtulâ deliteſcens, *Æſculapiis* noſtris ſubjicimus, non operationibus *Chirurgorum* fruſtraneis.

Verùm *Gangræna*, quæ ex frigore intenſo, aut *gelu* communi in Septentrione contingit, conſiderationem meretur noſtram. Etenim frigus pertinax & immite plurium viatorum pedes & manus, naſum aut aures ita ſtupefacit, ut vita omnis partium congelatarum adimi ſoleat, niſi proprium auxilium talibus adhibeatur. Modus vulgaris in *Boreâ* partes ita rigeſcentes reſtituendi, eſt *nive* vel aquâ gelidâ aliquamdiu confricare, antequam igni accedant vel hypocauſtum ingrediantur. Memini

in acerrimâ apud nos hyeme, cùm *Nix* profunda agrum noſtrum undiquaque tegeret, iſte mos gelidas partes reſtituendi, à me publicè advertebatur. Neque verò partes ſolummodò extremas & externas obtundit *Gangrænâ* frigus hyemale, ſed & *Cerebrum* ipſum quandoque impetit. Viatores enim *Sueci* & *Dani* iter ſuum vulgò faciunt in rhedâ apertâ, & nuſquam tectâ; adeò ut ſi quiſpiam iſtis vehiculis iter conficiens fortè obdormiſceret, morte pro certo corriperetur, & ſtatim ex morbo attonito, *Apoplexiâ* aut *Sphacelo* periret. Undè omnes invicem excipiunt dormiturientem amicis colaphis, calcibus, aut clamoribus, quaſi proficiſcerentur in quâdam *vervecum patriâ*, vel *Abderitanâ*.

Præſtantiam hujuſmodi *Curationis Gangrænæ* à frigidâ ſcil. causâ, per *frigida* admota, ſæpiùs experiuntur pauperes, pannis vilibus tritiſque obſiti, minúſque idoneis ad reſiſtendum frigori hyberno, quàm divites veſtimentis commodis calidiſque circumtecti; undè contigit non ità pridem, ut tanta támque mira conſervatio Pedis *Gangrænâ* correpti præclarè ſuccederet Domino *S. O.* Equiti aurato, cùm ex Conſultatione adhibitâ Medicorum cum Chirurgis *Tibia Amputationi* adjudicaretur. Paupercula enim illic adveniens, & rumorem domeſticum *Amputationis* fortè auſcultans ſtrenuè contendebat, ſe poſſe Dominum curare, ſine membri jacturâ, & ſtatim ea conſulebat, ut *Tibiam aquæ Frigidæ* aliquamdiu *immer-*

immergeret: Quâ ratione calor in partem pænè demortuam revocatus eſt, ægerque citrà diſcrimen evaſit, & ſine *Amputatione* peractâ; ut id didici à locuplete teſtimonio. Sed & porrò conſulit *Vander Heyden* integerrimus, *ut partes frigore rigeſcentes in Frigidam aliquoties renovatam, mediæ ad minus horæ ſpatio immergant, ut calor partis nativus reſuſcitetur*, & præthereà monet, ut *Vini hauſtus nuce Moſchatâ aut Cinnamomo aromatiſatus* interim *liberaliùs aſſumatur*. Quæ quidem ultima cautela non inutilis videtur, ad vires in eo caſu corroborandas, & exindè calor extinctus parti retroducatur. Alia etiam ejus cautio, ſat vulgaris, commoda videtur, nè ſcil. nimis citò ad ignem ſic affecti accedant, poſtquam partes rigeſcentes Rubedinem vividam contraxerint, & fuerint Sapone diligenter peruncti.

Sed mirum videri poteſt ſubtilibus rerum æſtimatoribus, quomodò frigida frigidis auxilium ſuum ferant, cùm in ſcholis jam olim ſtabilitum eſt, quòd *Contraria Contrariis curentur*, & quo decreto nullum in Medicinâ communius. An quia ita naturâ ſtatutum eſt, ut nullum Proverbium, Axioma, aut præceptum generale fuerit prorsùs immune à quibuſdam exceptionibus? An quia *Similia Similibus gaudent?* Ideoque ut ignis, & ſpiritus vini igneus combuſtarum partium ignem excruciantem celeriùs aliis extrahere perhibetur, ita nix & aqua frigida partes frigore rigeſcentes amico levamento fovent, & vitam

vitam quandam novam partibus pænè emortuis *ſympathiâ* quâdam reſtituunt.

Ut priùs maximè dixi de *Gangrænâ Inflammationem* inſequente, ita & ejuſdem *Curatio* præcipuam noſtram conſiderationem videtur mereri.

Mutatio *Inflammationis* in *Gangrænam* ex punčturis aut inciſionibus partium illarum nervoſarum, & maximè ſenſibilium, tendinibus compluribus repletarum, in digitis manuum pedumque, aliis omnibus methodis citiùs, tutiùs, & jucundiùs inhibetur, dolorque omnis atque inflammatio partis citiſſimè tollitur, meâ ſaltem ſententiâ, fovendo *digitum læſum*, aut illum pauliſper immergendo, in *Vinum rubrum calefačtum*, modò vinum ſit purum, non adulterinum, quouſque dolor prorsùs compeſcatur, & quo tempore digitus involvendus eſt duplici linteo in eodem vino madefačto, & aliquoties repetito, ſi opus fuerit, aut ſi dolor aliquantiſper redire acciderit.

Sic etiam *Ulcera* & *Vulnera*, quæ quocunque modo corripiuntur *Inflammatione*, & in *Gangrænam* tendunt, ocyſſimè ſolent à Truculentiâ *Inflammationis* liberari, (ſi anodynæ applicationes fuerint fruſtraneæ) vino rubro juxta *Hippocratem*, vel ſi nonnunquam *ſpiritu vini* tepefačto aliquamdiu foveantur, & interim evitetur *oleorum*, *unguentorum*, & *emplaſtrorum* adhibita conſtipatio; eorumque loco

loco raſura lintei ſola, eodem ſpiritu ſæpiùs imbuta, vel cum *Spiritu* aut Oleo *Terebinthinæ* conjuncta, *Ulceri* applicetur. Atverò *Inflammatione Ulcerum* & *Vulnerum* ſic ſublatâ, tutus erit poſteà uſus *Digeſtivorum*, *Mundificantium.* & *Epuloticorum*; ubi ejuſmodi requiruntur.

Sic etiam *Inflammatio*, quæ nonnunquam exoritur in corporibus δυσκρασίᾳ vitiatis, ex applicatione *Epiſpaſticorum*, nunc inter ſcapulas, nunc aliis partibus, à capite ad calcem, in morbis quamplurimis; & quæ *Inflammatio* quandocunque in *Gangrænam* tendit, doloribus excruciantibus, & *nigricanti* colore concomitatam, facilè citóque profligatur, imminenſque periculum propulſatur, ut id nonnunquam mandando vidi, ſolo duplici linteo ſæpè imbuto in *Vino rubro*, vel *ſpiritu Vini* calefacto, & parti cruciatæ ſæpè admoto, per dimidium horæ; tandem imponendo tale linteum vino vel ſpiritu vini madefactum, ſpretis interim & repudiatis oleoſis omnibus & emplaſtris.

De *Epiſpaſticorum* iſtâ Inflammatione quandoque periculosâ, & ex quâ nonnulli, licèt id fortaſsè rarò, noſtrâ ætate interierunt, eò magis inductus ſum vos monere, quia mos communis nunc apud nos invaleſcit, ea longè frequentiùs, longéque plura adhibere, variis corporis partibus, quàm unquam fuit edoctum, vel ad praxin revocatum, in ullâ ætate majo-

rum noſtrorum præclariſſimorum. Ideóque inter tantum, támque frequentem, hodiernum uſum *Epiſpaſticorum*, ſive rectè ſive secùs, nihil nocebit, ſi vos meminerim de præſtantiſſimâ illâ utilitate *vini calefacti*, & *ſpiritûs vini* extrà adhibiti, ubi pars veſicata ſævioribus doloribus crucians, & ſimul nigreſcens, *Gangrænam* eſſe præſtò interminatur.

In majoribus *Inflammationibus*, ſive *Gangrænâ* membrorum integrorum, *Galenus* in compendio ſuo curandi ad *Glauconem* Philoſophum conſulit, ut plurimum ſanguinis concreti & coagmentati evacuetur per profundas *Scarificationes*, ut proindè reliquum humoris infarcti meliùs perſpiret: ὑπολόιπω διαπνοὰς παρεχόντων· Etenim nequeunt ſe attollere arteriæ, aut pulſus earum contrectari, niſi libertas quædam humoribus eundi & redeundi exinanitione reſtituatur.

Hoc *Galeni* conſilium de *Scarificatione*, Medici omnes & *Chirurgi* uno ore dehinc ſecuti ſunt. Itaque ſanguinis infarcti copiâ ſic ſatis detractâ, vel emanare permiſsâ, medicamenta adversùs putredinem ſunt parti *ſcarificatæ* protinùs imponenda: Cujuſmodi ſunt, ſecundùm *Galenum*, farina orobi, aut ciceris amari, aut farina lolii, aut fabarum, cum oxymelite. Si fortius medicamentum fuerit imponendum, jubet adjicere *Sal*, & trochiſcum *Andronis*, aut *Polyidæ*, aut *Paſionis* tenuiſſimè tritum, qui omnes deſcribuntur à *Nic.*

Myrepſo, in Sectione 42. de Paſtillis. Nos adhuc retinuimus trochiſcos *Polyidæ* ſeu *Sphragis Andromachi*. Videtur etiam poſſe ritè ablui membrum, poſt ſcarificationem *aquâ ſalſâ* in quâ fuerint diſſoluta, *Oxymel Scilliticum* & *Unguentum Ægyptiacum*, cum ſpiritu vini. Quod quidem Unguentum *Ægyptiacum*, à majoribus noſtris olim inventum, aliis multis videtur in uſum illum tutius, eâque ratione prudentius, & efficacius, venenatis iſtis, magis corroſivis aut cauſticis medicamentis, quæ ex *Sublimati* & *Arſenici* genere infami ſunt à recentioribus audaculis excogitata. Itaque uſum *Arſenici* aut *Sublimati Corroſivi*, in *Gangrænâ*, gravatim permittimus, niſi in caſibus deploratis, ſed *Præcipitati* rubri uſum libenter accipimus; neque prorsùs reprobandus eſt *Mercurius dulcis*, ſolutus cum aquâ calcis, & *ſpiritu vini*, ſi lintea duplicata calida, in illis imbuta, *Gangrænæ* adhibeantur & ſatis ſæpè repetantur. Uſum *Arſenici* maximè interdicimus, pro facultate noſtrâ, cauponibus omnibus vinumque confundentibus, nè ipſo vino ſuo venenato ægrotantes occidant, cùm externè adhibetur, & nè ipſos Sanitatis cuſtodes fortè lædant, in *conviviis* concelebrandis, jucundiſque animorum ſtudioſorum relaxationibus: Quandoquidem arcus ingenii fœliciſſimi non debet ſemper intendi, ſed poſt uſum debitum remitti, nè vires ejus nimis enerventur, & infringantur.

DISSER-

DISSERTATIO XII.

De Herniis.

Jun. 15. 1720.

NON *delirabat*, neque dementiâ afficiebatur primus ille Atomorum inveſtigator vel inventor *Democritus*, cùm ità effusè rideret, & ineptias hominum multiplices perpetuò derideret; neque *Sapientiæ* fuit expers *Heraclitus*, cùm miſerias omnibus communes ità mœſtè miſeraretur, & humanam fragilitatem lacrymis inexhauſtis ſingulariter defleret. Inter innumeras verò hominum miſerias, quibus omnes obnoxii, non exiguum locum obtinet *Herniarum* multitudo, quæ tametſi oculis alienis vulgò latet, & verecundia multorum diligenter eas celat, tamen millies ſunt frequentiores hujuſmodi *Tumores*, quàm plerumque nobis videntur. Nunquam clariùs innotuit *Herniarum* multitudo, quàm cùm Antiſtes ſive *Prior* Cœnobii *Cabrienſis* in Aulam *Gallicam* adveniret, nimirùm à *Rege* Magno accerſitus ex *Occitaniâ* ſive *Languedoc*, propter *Arcana* ſua *Infallibilia*, gratis diſtributa, eâque ratione fœliciùs ſuccedentia, utpotè *Divinâ Benedictione* Opera bona

mirè juvante; ſed maximè accerſitus tàm longè propter *Infallibilem* ſuam ità ratam *Herniarum* curationem. Sed obiter paulò dolendum eſt, *Medicos* peritiſſimos eruditiſſimoſque nunquam eſſe, nunquam fuiſſe *Infallibiles*, cùm plebecula inſipiens ſuo periculo experitur, & facillimè credit *Empiricos* pænè omnes eâ facultate pretiosâ miris modis eſſe donatos; & neſcio equidem quot undique Sacerdotes, præter bonum *Patrem Cabrienſem*, Sacris ſuis Arcanis refertum, vel ſunt *Infallibiles*, vel multùm volunt ità haberi, primariâ tamen *Infallibilitate Pontifici Romano*, ut primo ejus inventori, cuſtodique ejus vigilantiſſimo, jure conceſsâ.

Quicunque *Herniâ* inteſtinali vel omentali debilitatur, ſummoperè debet cavere, à ventriculo cibis incongruis replendo, ſpiritibuſque furibundis nimis perturbando, & à *Colicis* doloribus ſpaſmiſque excitandis, atque à *Tuſſi* importunâ contrahendâ, quoniam iſtæ corporis concuſſiones ac tumultus ſolent *Hernias* horridè amplificare. Siquidem nôvi Dominam permodeſtam, quæ *Colicis* doloribus excruciata, ramicem *Umbilicalem* tamdiu celaverat à noſtrâ cognitione, donec tantò erumperent inteſtina unà cum Omento, ut ex eâ causâ deploratâ, duobus ſcilicet hoſtibus cum viribus unitis atrociter miſeram convellentibus, vitam repentè redderet.

Sed

Sed quia *Peritonæi* relaxatio, aut ruptio eſt cauſa primaria *Herniæ* Inteſtinalis & Omentalis, membranam illam, vel totius Abdominis involucrum, paucis ſpeciatim expendamus.

Peritonæum eſt membrana tenuiſſima, latioribus aranearum telis ſimillima, quæ quoniam omnibus viſceribus in Abdomine contentis ϖεϛιτείνε), id eſt, circumtenditur, *Peritonæum* dicitur. Subſtantia ejus membranea eſt, ut laxari & diſtendi facilè poſſit, quemadmodum ſolet turgeſcere, naturaliter in *gravidâ* muliere, morbosè in *Hydrope* Aſcite, & Tympanite; & ſimiliter ea ſe contrahit ac detumeſcit, poſt partum infantis, poſt aquarum evacuationem, & poſt flatus ejectos, aut evaneſcentes. Tenuis eſt etiam hæc membrana, nè pondere graviori premat, aut partes ſubjectas offendat; & denique firma eſt aut firmiſſima, nè diſtenta aut concuſſa facilè diſrumpatur.

Credebant veteres Anatomici *Peritonæum* habere ſeptem vel octo Foramina, nimirùm pro tranſitu quatuor vaſorum umbilicalium, æquè ac aliorum; & *Sennertus* eruditiſſimus, qui non ità pridem floruit, ſæculo præterlapſo, regnantibus *Jacobo* & *Carolo* primo, tàm recens cogitabat, vaſa ſeminaria, non ſub *Peritonæo*, ſed per membranam illam tranſeuntia, illabi in teſtes, extrà abdomen virorum collocatos; ſed recentiores multò magis curioſi viſcerum perſcrutatores nuſquam in eo re-

periunt, niſi duo ſolummodò foramina, in ſano ac naturali ejus ſtatu, Unum pro aditu *Oeſophagi* in *Abdomen*, & alterum pro egreſſu inteſtini Recti, ad exonerandas fæces. Et ſimiliter veteres exiſtimabant, membranam *Peritonæi* fuiſſe duplicem, & ſic judicabat clariſſimus *Fernelius*, ſic etiam cenſebat *Andreas Laurentius*, inſignis Anatomicus, uterque poſt inceptam Centuriam 15^{am}, & uterque credebat *duplex* eſſe *Peritonæum*; cùm recentiores concludunt, *nullam* id habere *duplicationem*; adeò ut veriſimile videatur ſapienti rerum æſtimatori, non modò *quot homines tot* vulgò *ſententias*, ſed & quot ſæcula, tot fore ſive Inventa, ſive Commenta *Anatomica*. Veruntamen ſicut æmulatio laudabilis bonos ſæpè excitat ad excellendum aliis in Republicâ, ita ambitio eminendi aut diteſcendi veſana non modò cives exagitat ad ſcelera perpetranda, ſed & curioſos complures, imò doctos, medicoſque claros nonnunquam incitat, alienas obſervationes qualitercunque utiles deſpicere, aut vitio vertere, priſcorum temporum ſcientias contemnere, ſuas laudes inanes clanculùm crepare, aliorumque merita æquiſſima nimis ægrè ferre.

Interna *Peritonæi* ſuperficies glabra eſt, lævis, & humore quodam perfuſa aut illinita, nè inteſtina aliaque viſcera quæ contingit & complexu fovet, lædat; è contrà externa ejus ſuperficies inæqualis eſt ac fibroſa, quò meliùs adhæreat muſculis abdominis.

Jamque

Jamque dimiſſis Anatomicis ad *Herniarum* conſiderationem redeamus.

Hernia omnis eſt vel Inguinalis, *Bubonocele* dicta, vel tumor aliquiſpiam Scroti, vel Umbilicalis. Cùm *Hernia* ſe ſiſtit in inguine, habetur tantùm *imperfecta Enterocele*, cùm deſcendit in Scrotum, dicitur *Perfecta*. Inguinalis ſæpiùs accidit Infantibus, à ſolâ relaxatione *Peritonæi*, idque plerumque relaxatur à temperamenti humiditate, quæ facilè reddit eos obnoxios iſtis membranæ relaxationibus. Etenim cùm Infantes humidiſſimo temperamento præditi, deſtituti omni ope relinquuntur à moroſis vel incurioſis nutricibus, ultrà modum flere, diuque ejulare, ſine adhibitâ miſericordiâ, tunc facilè prolabitur inteſtinum, deſuper compreſſum à querimoniâ flebile & immodicâ, in ſedem *Inguinis*, nunc ex uno latere, nunc ex utroque. Et iſtiuſmodi *Herniæ Infantum* ſæpiſſimè curantur ſolâ commodâ deligatione. Non ita pridem ſolâ deligatione per faſciam lineam duorum digitorum latam, & quaſi quatuor vel quinque ulnas longam, curabam Infantem in ambobus inguinibus Hernioſum ex hâc causâ, cui Dux inviċtiſſimus, & Princeps Celſiſſimus *Eugenius*, cùm apud nos, temerè dicam an nimis benevolè verſaretur, infenſis ſcilicet temporibus, & quo tempore fuit huic Infanti, pro humanitate ſuâ, ſuſceptor *Fidei Reformatæ* catholicus, inter Baptiſmum. Poſt repoſitionem Ilei inteſtini,

admotis pannis calidis, & inclinato imprimis capite, cruribuſque elevatis, & remotâ priùs protervâ iſtâ nutrice, ſuccedaneam ego inſtruebam, quomodò ſe gereret in deligando aptè partes infirmas; & præthereà illam monebam, ut plures ejuſmodi faſcias compararet, atque in promptu haberet, ad immundas, quoties opus eſſet, commutandas. Sed neque interim omittebam pulveres Teſtaceos tenellulo aliquantiſper exhibere, ad tormina ventris præveniendа, ſyrupumque de cichoreo cum rheo, vel alias Rhabarbari infuſiones, ad alvum modicè laxandam, parteſque debiles & relaxatas corroborandas.

Verùm in *Herniis* Inguinalibus Adultorum longè aliter ſe res habet. Etenim *Bubonocele* virorum oriunda ab inteſtino, vel epiploo, vel utroque illapſo, & in inguine ſuffocato, nimirùm aditu vel tranſitu alimenti per inteſtina, qui liber & patefactus eſſe debuit, penitùs intercluſo, à fæcibus iſtic induratis, graviſſima parit tormina, ſubverſionem motûs inteſtinorum periſtaltici, vomitus enormes, Iliacamque paſſionem: Siquidem deſcenſus fæcum alvi deorsùm ſic obturatus, naturaliter per gulam regurgitat, aut ſursùm regreditur, & per vomitum pertinacem fæces exonerantur. Et tunc nulla curatio reſtat, cùm reductio nequaquam poſſit effici, vel operâ *Chirurgicâ*, vel emollientibus fomentis & cataplaſmatis, niſi difficillima iſta maximè excrucians, & periculoſiſſima, per ſævam *operationem Chirurgicam*;

cam; nimirùm incisâ leniter cute, membranâ adiposâ, & tandem inciſis annulis muſculorum abdominis, ſic dictis *annulis*, quia fibræ duorum muſculorum obliquorum deſcendentium, & externorum, obliquè deſcendunt à ſursùm in deorsùm; & fibræ duorum obliquè aſcendentium muſculorum, & internorum, feruntur & aſcendunt etiam obliquè à deorsùm in ſursùm. In his diſſecandis maxima eſt habenda cura, nè inteſtinum ipſum fortè pungatur. Id enim ex ſe *lethale*, præter ſummum vitæ diſcrimen ex ipsâ *operatione*, quantumvis peritè celebratâ, ex dolore ſcil. acerbiſſimo, & viribus omnibus dolore iſto ademptis. Sed hi cruciatus nonnunquam miſeris ſubeundi ſunt, hæc carnificina neceſſariò eſt ferenda, ſi operatio efflagitetur, ad vitam languidam producendam, & ad inteſtinum in ſuâ ſede reponendum. Quocircà oporteret his Tumoribus affectos quamprimùm confugere ad *Chirurgum* peritum, & in rebus Anatomicis verſatum, potiùs quàm ad fabricatores faſciarum vulgares, multò minùs ad fœminas fabricatrices, in Anatomicis rudes & imperitas.

Poſt diram iſtam operationem, *Chirurgus* leniter reponit inteſtinum intrà abdomen, & ſi adhæreat uſpiam inteſtinum inguini, propter viſcidos humores ibidem ſtagnantes, tunc debet ſeparari prolapſum inteſtinum ſcalpello ab adjacentibus membranis quibus adhæſit, antequam ejus reductio fieri poſſit. Si nihil fuerit illapſum præter inteſtinum, quod in ſuam

ſedem

ſedem manibus reponitur per foramen ampliatum, annulis diſſectis, tunc operatio abſolvitur. Quòd ſi *Epiploon* ſimul fuerit illapſum, tunc forti ligaturâ *Epiploi* factâ, quoad poterit intùs, tota ejus portio, quæ fuit aëri expoſita, ocyus eſt abſcindenda, metu *Gangrænæ*. His demùm peractis, & inteſtino atque epiploo repoſitis intrà abdomen, dolores priores, remotâ causâ, evaneſcunt; & ſacculo inguinali exinanito, & à congeſtis ſordibus mundato, *Chirurgus* introducit foramini inciſo turundam eo tempore illinitam vitello ovi cùm oleo mixto, & penicillos inciſioni adhibet, quos tegit Emplaſtro aſtringenti, & comprimentia linea denſiora, vino tepefacto madida, Emplaſtro ſuperimponit, opuſque ſuum concludit commodâ deligatione. Verùm hæc omnia meliùs perdiſcuntur αὐτοψία, ſive oculari inſpectione, quàm quâvis noſtrâ, vel alienâ deſcriptione.

Et ejuſmodi *operatio* periculoſiſſima nonnunquam perficitur in *Enterocele perfectâ*, ſive prolapſu inteſtini in *Scrotum*, ubi ſuffocatio contingit, ſequiturque exindè *Iliaca paſſio* miſerabilis. Sed *ſectio* iſta crudelis, & maximè dolorifica, nunquam temerè tentanda, pariter atque *Amputationes* membrorum, neque unquam ſine conſilio adhibito *Medicorum* aut *Chirurgorum* peritiſſimorum & prudentiſſimorum. Eſt enim extremum omnium remedium, neque attentandum, niſi maximâ urgente neceſſitate, & reliquis omnibus præ-

ſidiis incaſsùm priùs adhibitis. Atque (heu!) tunc temporis vires corporis ſolent eſſe nimis attritæ ad operationem iſtam quicquam tutò ſubeundam. Sed agite an tanti interſit vivere miſeram vitam? Nonnè requies æterna, & immortalitas in procinctu oblata, his cruciatibus & equuleis bono viro longè præſtabiliores? Quot, & quàm præclarè dicta ſunt à *Philoſophis, de contemnendâ Morte?* Quàm copiosè, quàm probè, quàm ſplendidè dicit *Cicero* ſuper illud argumentum, in aureo illo libro *Tuſculanarum Quæſtionum?* Quali voluptate diſſeruit *Socrates* in *Phædone Platonis* de mortalitate deponendâ, ante præſentis veneni hauſtum! Quali æquanimitate bis legebat *Phædonem Cato Uticenſis*, antequam ſibi mortem voluntariam conſciſceret! Quanta *Romanorum* fortiſſima moriendi exempla ad *Gloriam* ſolummodò conſequendam ab Hiſtoricis proponuntur! Quot undique milites vulgares, *Heroicâ* fortitudine præditi, in prœlium dubium, hoſtique cedens, tanquam ad Epulas, alacriter deſcendunt! Certè Mors cunctabunda, miſeriis diuturnis plena, aut doloribus excruciantibus patientiam omnem defatigans, fato breviùs leniúſque conficienti minimè eſt anteferenda.

Et quantiſcunque *Mortis* terroribus improbi concutiantur, aut quomodocunque liberati ab ejus metu videantur temerarii multi, deſpondentes, vitæque pertæſi, cùm ſibi mortem inferunt vel accerſunt voluntariam; tamen *Boni*

noſtri

noſtri & *Innocentes* ſursùm converſi, inter maxima vitæ pericula poſſunt lætari, & fato appropinquanti dicere hujuſmodi:

" *O præclarum diem*, noviſque Animæ
" Natalibus & præſtantioribus inſignitum,
" cùm ex hoc corporis ergaſtulo, ab his ſen-
" ſuum illecebris, voluptatum inanium prædo-
" minio, ſcelerumque colluvie & contami-
" natione omninò liberabimur! Oh diem Gau-
" dio optatiſſimo abundantem, votorum om-
" nium terminum & Coronam, cùm *Patrem*
" noſtrum *Omnipotentem*, qui exiſtentiam,
" vitam, ſalutem, facultateſque nobis benignè
" dedit, propinquiùs clariúſque ſuſpiciemus!
" Cùm *Servatorem Dominumque* noſtrum,
" infinitâ ſuâ Gloriâ irradiatum, ſuper omnes
" exaltatum, ſuper omnia triumphantem,
" *Moſe*, *Eliâ*, *Abrahamo*, *Prophetis* &
" *Apoſtolis*, *Angelis* innumeris, cæteriſque
" *Spiritibus* beatiſſimis concomitatum, pleni
" exultatione ineffabili reverentiſſimè adora-
" bimus! Cùm ultrà ſublunaria ſursùm rapti
" cœtum *Animarum Cœleſtium*, omniſque
" culpæ expertium immigrabimus! Cùm *Hip-*
" *pocratem*, alioſque *Principes Medicinæ*
" admirabiles; cùm *Ciceronem Catonemque*
" ſuum, cùm *Socratem*, ejuſque diſcipulos il-
" luſtres, moribus ſanctos, ac pænè Divinos;
" cùm *Ariſtidem*, *Antoninum*, *Epictetum*,
" alioſque omnium gentium, ævorum, popu-
" lorum, innumerabilem multitudinem, vir-
" tute, innocentiâ, aut pietate illuſtratos, ſi

" *Deo*

"*Deo Omnipotenti* placet, coràm videbimus "& dignoſcemus; cùm opera Magnificentiæ "*Divinæ* penitùs perſpecta habebimus; cùm "ordinem, motus, magnitudinem veram, na-"turamque veram ſublimium *Luminarium* "planè conſpiciemus; cùm Incolarum Cœ-"leſtium ſplendorem ſummum, occupationes "ſanctas, & provincias aſſignatas intueri; "cùm illorum Beatitudinem participare; cùm "donabitur poteſtas Sociis tàm ſanctis con-"ſueſcere, & ſine quocunque ſceleratorum "conſortio; cùm denique *Intellectus* noſter "nunc obſcurus, ignarus, plenuſque imper-"fectionum, caligine omni diſſipatâ, radiiſ-"que illuſtribus effulgens, *Scientiâ univerſâ* "illuminabitur, & fortaſsè in mundos inviſi-"biles tunc longè penetrabit, erimuſque In-"telligentiâ *Deo* ipſi non multùm abſimiles, "ſi finitum *Infinito* quocunque modo poſſit "aſſimilari: Quandoquidem ab *afflatu Di-"vino* melior pars noſtri cœlitùs eſt exorta".

In præſenti *Bubonoceles* vel *Enteroceles* curatione per Inciſionem, non eſt hic prætereundum, quod *Valeſcus de Tarentâ*, Medicus inſignis *Monſpelii*, qui floruit circa *A. D.* 1382. in *Philonio* ſuo *Pharmaceutico*, & *Chirurgico*, capite de *Herniis*, tradidit. Nempe, *qui cacochymicum, aut imbecillem, aut quoquo modo redditum debilem, aut ſenem, præſumpſerit per inciſionem curare, manifeſtiſſimè deſiderat*, vel inquam meretur, *Homicida nuncupari.*

Hernia Omentalis, vel *Umbilicalis* vulgò fit dilatato Peritonæo, non rupto, ut id ſolet contingere in Enterocele. Dicitur ſolummodò dilatari Peritonæum in ramice *Umbilicali*, eò quòd haud magna Omenti portio poſſit erumpere, quia id alligatur ventriculi fundo, colo inteſtino, & ſpinæ dorſi. Nimirùm hæc fuit ſententia clariſſimi Medici, *Fabricii ab Aquapendente*, in libro 1°, capite 26. Operum Chirurgicorum. Sed omnes veteres Medici, pariter atque nonnulli inſignes Chirurgi recentiores, exiſtimârunt, *Peritonæum* ſæpè *rumpi* ſolitum in hâc Herniâ, æquè ac dilatari. Et ipſa magnitudo eruptionis id videtur evincere; cùm ramex *omentalis* nonnunquam ſe exhibet inſtar capitis galeri, ut & modò magnitudinem pugni, modò ovi exæquans. Sed *ruptio* Peritonæi evidentiſſimè apparet in apertione morientium ex his Tumoribus. Cujus veritatis exempla aliquot tradit induſtrius ille *Bonetus* in ſuo *Sepulchreto*. Etenim quamvis ſæpiùs contingant eruptiones vel protuberantiæ exiguæ, inſtar nucis moſchatæ, à relaxatione vel dilatatione membranæ, propè latus umbilici, tamen magnæ illæ & ſubitaneæ prominentiæ, in regione umbilicali, certiſſimè ſe debent *ruptioni* membranæ, & diſtenſioni cuidam ligamentorum violentæ, à causâ externâ, ut caſu ab alto, ſaltu vehementiori, aliiſque exercitiis impetuoſis; nec raṙo conſimiles *Herniæ* primùm naſcuntur ab itinere faciendo ſuper equo permoleſtè ſuccuſſanti, & aliquan-

do à ſaltibus audacibus ac temerariis equitis nimis impavidi, aut venatoris præcipitis. Quinetiam vulgus hominum, & bajuli, non rarò ſolent hujuſmodi *ruptiones* pati, à ſuſtinendo diutiùs quàm oportet, atque à tollendo pondera viribus graviora, & ex quâ cauſâ id genus hominum ſæpiùs contrahit Gonorrhœam ſimplicem.

Herniæ Umbilici mediocres poſſunt à prudentibus commodè conſervari, à creando moleſtias, nimiaſque animi perturbationes, ſine uſu *faſciarum* incommodo, ſolummodò geſtando ſuper regionem *Umbilici*, laminam plumbi idoneam, & ità tenuem ut facilè inflecti poſſit, illamque laminam tegendo cum Emplaſtro adhæſivo in alutâ extenſo, vel cum galbano puriſſimo, ultrà finem laminæ exporrecto, quò meliùs ventri adhæreat; idque Emplaſtrum renovetur quoties prius exiccatur, aut ſuam amittit tenacitatem.

Minores *Herniæ* ex latere Umbilici proſilientes tutò conſervantur ab incremento, non modò faſciis ordinariis, corpus ambire ſolitis, & umbilicum ſplenio comprimentibus, & quibus faſciis habenæ ſcapulis circumtenſæ annectuntur, aliæque permoleſtæ femoribus utrinque circumducuntur; ſed & multò commodiùs, & minore cum moleſtiâ, in viris, ſolo *Balteo* coriaceo, cui gladius immittitur, & lateri accingitur, ſi modò balteus fuerit circiter quatuor vel quinque digitorum tranſverſorum latus anteriùs,

teriùs, & ſi fibula vel hamus obtuſus conſuatur balteo propè umbilici regionem, quæ fibula anſulæ tunicæ indenda, ad retinendum firmiter *balteum*, nè labatur ſursùm vel deorsùm. Sed meminerint illi, ut Balteus abdomen comprimens, & foraminibus pluribus interſtinctis conſtans, ad fibulam intromittendam, poſt ſingulos paſtus ad tempus relaxetur vel remittatur, nè ex repletione neceſſariâ liber ſanguinis & alimenti tranſitus, magno corporis cum incommodo, inhibeatur. Cingulum etiam commodum, & conſimile, in eundem finem, poteſt comparari pro fœminis, illarumque veſtimentis adaptari, conſtans è panno Xylino molliori, vel lineo conduplicato & conſuto, ejuſdem magnitudinis in anteriore corporis parte; quo pacto idoneè vitatur faſciarum communium geſtatio moleſta. Etenim fœminæ, quamvis exercitiis violentis ſunt ferè immunes, tamen *Hernias* ſæpè contrahunt in partu difficili, & à ſubluxationibus, à caſu, & à diſtentione corporis nimiâ, dum in utero geſtant. Nôvi prægnantem, quæ ab inclinatione corporis proniore, ad clavos pedum ſolummodò deradendos, ligamentum aliquod vel nervum in abdomine diſrumpens, in immanem *Colicum* dolorem, atque *Iliacam paſſionem* lethalem incidit. Similiter nôvi prægnantem, quæ à diſtentione brachii prælongâ, ad porrigendum aliquid vel captandum, abortum quamprimùm fecit, & in fluxum menſium immodicum, ac periculoſiſſimum deinceps incidit,

dit, nimirùm ex ligamentis aut vaſis uterinis diſruptis, nimis diſtentis, aut apertis.

Hæc & hujuſmodi tàm leviter contingentia, nos commonefaciunt *fragilitatis humanæ*, quàm ſint incerta omnia, inſtabilia, maximis periculis infinitiſque obnoxia. Hæc & ſimilia monent *Sapientem* illecebras mundanas, reſque illas fugaces quas vulgus in bonis numerat, faciliùs deſpicere & aſpernari. Et hæc eadem monent virum literatum ſtudia ſua avertere à leviculis, à nugis, & inanibus quæſtiunculis, & ad ſeria, ad utilia, ad eximia, mentem ſuſcitare.

Sed ut finiam, omnibus *Hernioſis*, licèt probè muniantur, & ſæpè neceſſariò, faſciis propriis & accommodis, tamen diligenter illis vitanda ſunt exercitia vehementiora, ut ſaltus, curſus velocior, equus ſuccuſſator, oneris gravioris geſtatio, atque oratoribus ſic affectis aliiſque palàm alloquentibus, vociferatio clamoſa dictioque prolixior. Quamobrem & ad *Umbilicum* ſuum ſermonem noſtrum nunc commodè perducamus.

DISSERTATIO XIII.

De erroribus Chirurgorum.

Maii 29. 1722.

POST ea quæ priùs dixi de rebus pluribus *Chirurgicis*, variaque ea auxilia quæ ad Sanitatem corporis malè ſe habentis reſtituendam, pro facultate ſubminiſtravi, nunc non erit incommodum *erroneas* quaſdam, vel pravas conſuetudines quorundam *Chirurgorum*, inter *Artis utiliſſimæ* exercitium invalentes, paulò perſtringere, ut illæ probè evitentur aut corrigantur. Et quanquam benè cognoſco quàm *invidioſum* fermè ſit, & malignum videri poſſit, alienos errores explicare vel vitio vertere, qualeſcunque fuerint illorum culpæ, graviaque peccata, cùm tot ignari ſint opinioſiſſimi; tamen apud *doctos* viros & ingenuos, diſcendi veri ſemper cupidiſſimos, & ab omni pertinaciâ alienos, fas eſt, convenitque libertate loquendi uti, culpaſque aliorum noxias non timidè annotare. Quemadmodùm ubi in mari latent brevia periculoſa, vel ſcopuli abſconduntur,

ſconduntur, in quos naves ſolent impingere, neceſſarium eſt, ut & humaniſſimum, admodumque dignum Magiſtratûs curâ, *indices* illos *ligneos*, aquæ ſupernatantes, ſigna diſcriminis conſpicua, prudenter affigere, ut alii omnes eò velificantes protinùs effugiant idem periculum impingendi.

Medicina eſt Ars omnium utiliſſima, maximè neceſſaria & ſaluberrima, in commune levamen ac benignum auxilium miſerè afflictorum; & in *Græciâ*, undè Ars illa præſtantiſſima fuit primùm exorta, vel ſaltem plurimùm exculta, quicunque ex gravi aliquo morbo, ope medicamenti, convaleſcebunt, in parietes *Templi Æſculapii* remedium tenebantur ſuſpendere, manifeſtò deſcriptum, cujus vi & operâ curatio illa abſoluta eſt, ut alii ſimili morbo laborantes eodem modo poſſint, ſi *Deo* placet, ſanitati priſtinæ reſtitui. Et tradunt, ſcil. *malevoli*, Magnum *Hippocratem* breviuſculas illas formulas potentium Simplicium clam ſurripuiſſe, vel potiùs diligentiùs collegiſſe, ut Artem noſtram conderet, & primus inſtitueret. Sed tantâ *Sapientiâ* ſcripta ejus immortalia ſunt undique repleta, ut quilibet mediocriter doctus nequeat ambigere, an ejuſmodi ſcripta ſint ex traduce propagata, annon potiùs ex ſummâ ejus *prudentiâ nativâ* fuerint exorta.

Sed quantumcunque laudabilis fuit mos ille antiquus gratis invicem communicandi ſalutares ſuas curationes, nunc temporis ſi quod

remedium notabile, ab *Æſculapio* aliquo noſtro ſolenniter præſcriptum, oblatâ propriâ occaſione, fortè incidat cognitum in manus aniles, vel temerarii alicujus Empirici, ſtatim illud convertitur in *Arcanum* infallibile & obſtupefaciens, perpetuis tenebris obruendum. Quod ſi in lucem id unquam prodeat, vires ſuas egregias facilè perdit, admiratio prior tollitur, reditque remedium priùs mirabile in terminos ſuos proprios, tutóque deponitur in commune rerum Medicarum repoſitorium, ut commodè uſurpetur, quando propriè convenit.

Verùm ut ad inſtitutum redeamus, equidem benè ſperans, & jure credens, nos omnes, qualitercunque in cogitationibus minoris momenti diſcrepantes, *Salutem Publicam* aliis omnibus rationibus præponere, vel certè debere præponere, has animadverſiones alienorum delictorum non timidè vobis exhibeo, & æquitati candorique veſtro lubens ſubmitto.

Et primùm nimiam *Audaciam*, ſive temeritatem, ſive feritatem immanem plurium Chirurgorum reprehendere fas eſt, qui petulanter & ſine neceſſitate, urunt, ſecant, laniant inhumaniter, ſeu ad moleſtiam aliquam diuturnam evitandam, ſeu inſolentiâ elati, ſeu ad lucellum commodius corradendum. Hoc ſæpenumerò contingit in pugnis navalibus, neque rarò cùm ſigna ſunt in terrâ collata. Neſcio annon ex cauſis fuerit nonnunquam, præmium *quinque librarum* Chirurgo ſolitum donari ab

Impe-

Imperatore aut quæſtore pro ſingulis membrorum *Amputationibus.* Et reverà ſi acciderit, ut Chirurgus fuerit rapax, & avaritiâ ferveat feraturque, illud præmium poteſt facilè invitare [illegible]*iones* iſtas minùs neceſſarias. Profectò hominem clementem graviſſimo dolore afficeret, fortem aliquem virum reddere invalidum, claudum, & Reipublicæ inutilem, quamdiu miſer vixerit. Et ſanè ſi jus *Divinum,* ſub pœnâ mortis expiantis, interdicit quenquam ferro vel aliuſmodi hominem conficere, eâdem etiam ratione prohibet, quenquam temerè mutilare, deartuare, aut quocunque modo emaſculare. Si rarior illa neceſſitas *amputandi,* quandoque occurrens, nobis excipiatur, non immeritò frequentia ejus nimis invaleſcens, maximè eſt reprehendenda. Et licèt uſus *amputandi,* cùm ſit valdè neceſſarius, nequeat in univerſum improbari, tamen *Guidonem Cauliacum,* ut probum & miſericordem *Chirurgum,* ſpeciatim veneror, quia nunquam voluit totâ ſuâ vitâ artuum humanorum quenquam, quâcunque ex occaſione amputare, ſed Sparadrapâ tectum membrum permiſit ex ſe putreſcere, & comminutim perire. An magis humanum id fuerit, & mirandum in *Gallico* Chirurgo, qui rariùs ab audaciâ eſt immunis, an fuerit nimis religioſum, paulò incertum reſtabit. Quis enim neſcit multas eſſe paſſim hiſtorias, fide dignas, membrorum *Amputationi* damnatorum, à Chirurgo aliquo temerario, ſed reclamanti viro infirmo, & ſeſe operationi pertinaciter opponenti, eadem mem-

bra poſteà fuiſſe conſervata & ſanata, nunc à Chirurgo prudentiori, nunc à bonâ muliere, vel fortè ab ipſo Empirico, diligentiam adhibenti, ſcilicet in opprobrium quoddam Artis & Artificum. *Honeſtius eſt medico*, inquit *Guido*, *quòd cadat per ſe membrum* Gangrænâ affectum, *quàm ſi incideretur*, vel amputaretur, *ſemper enim quando inciditur, remanet rancor*, aut ſimultas, & *cogitatio in patiente, quòd poſſet remanere* membrum abſciſſum. Hic verò vir bonus, *Guido* habebatur *tantæ Autoritatis apud Fallopium* præclarè doctum, *quantæ ferè fuit Hippocrates*; *nam fuit Guido*, inquit *Fallopius*, *vir doctiſſimus, & maximæ Experientiæ.* Et certè humanitas ac Prudentia ſumma, non Timiditas abjecta inclinabat *Hippocratem*, ut in *Juramento* ſuo inſtitueret, nequis ex diſcipulis ſuis *Calculo* laborantes execaret, ſed opus id truculentum, *Medico* prorsùs indignum, permitteretur operariis inferioribus, aut mercenariis.

Quod dixi de *Amputationum* ineptarum nocumento, poteſt etiam ſimiliter dici, de abuſu *Terebrationis Cranii*, in Vulneribus Capitis, quòd ea multò frequentiùs quàm oportet à Chirurgis in uſum ducatur. Quippè vulgari uſui Terebelli reclamârunt inſignes in re Chirurgicâ viri: *Galenus* dicit, *ſi poſſimus ſaniem* (in fracturis Cranii) *expellere vel evocare, ſinè oſſium expulſione, hoc eſt bonum.* Et *Galeno* aſtipulantur *Avicenna & Serapio*, de curatione *Sodæ*, vel doloris Capitis gravioris, à caſu,

caſu, aut à plagâ fuſtibus exceptâ, ubi dicunt, non per *Trepana* ſed per medicinas internas & externas, fracturas Cranii ſanari, & Cerebrum læſum reſtitui oportere. *Lanfrancus* ait, ſe notâſſe, quòd plures curentur ope medicinarum, quàm perforantium Trepanorum; neque his ſe unquam ſolere uti, niſi in duobus caſibus, quorum alter eſt, ſi Cranium adeò fractum fuerit, ut os illapſum *comprimat* duram matrem, ſive meningem; alter, ſi fruſtulum oſſis eandem *pungat*. Denique doctiſſimus *Vidus Vidius*, *Florentinus*, narrat *Peruſinum*, optimum illius ſæculi Chirurgum, *Romæque* florentem, ſibi retuliſſe, quòd longo uſu obſervâſſet, illos magis fuiſſe conſervatos, qui citrà ſcalpelli vel Modioli operam, partim lenientibus, partim ſiccantibus fovebantur, quàm quibus cutis inciſa, & cranium fuit perforatum.

Apud majores noſtros, indefeſsè diligentes, cùm res omnis Chirurgica æquè ac Medica, cùm operationes Chirurgicæ ab ipſis Medicis libenter peragerentur vel à ſubſtitutis illorum operatoribus, tunc *Archagathus*, monenti id *Plinio*, *Romam* ex *Peloponneſo* advenit, fuitque primus Medicus qui eò loci unquam introiverat, Medicinæ faciendæ causâ; traditque *Plinius*, illum populo *Romano* fuiſſe primò mirè gratum, & honorificè acceptum, juſque *Quiritium* illi citò datum, in teſtimonium gratiſſimi ſui adventûs, circiter tempus ſubactæ à *Romanis* totius *Italiæ*, *L. Æmilio* & *M. Livio Coſſ.* propè quingenteſimum annum ab

Urbe conditâ. *Vulnerarius* primùm nuncupabatur *Archagathus*, à populo illo belligero, Vulneribus obnoxio, ſed mox ab immani ſævitiâ conſcindendi & urendi malè audiit, & tranſiit ejus nomen in *Carnificem* ſanguinolentum, feruntque illum tandem non modò expulſum *Româ*, ſed & lapidatum fuiſſe à populo, juxtà morem antiquum *Judæorum*.

Ut propenſione quâdam animi manſuetiore ac miſericordi ductus, *Guidonem* propter Lenitatem ſuam priùs laudavi, ita nequeo non expaveſcere *Marci Aurelii Severini* Pyrotechnicam Chirurgiam, & efficacem dictam Medicinam, ubi *Severinus Guidonem* bonum habet pro *Phyſico-Chirurgo*, *non abſolutè Chirurgo* (ſunt ejus verba) quia nequaquam favebat *Guido* efficaci ſuæ Medicinæ, per *Ignem & Ferrum* faciendæ. Idcircò ſcilicet *Guido* fuit ſuâ ſententiâ imperfectus Chirurgus, non conſummatus, quantumlibet aliis, quantumlibet clariſſimo *Fallopio* videretur *doctiſſimus, & maximæ Experientiæ.* Vulgus verò nequam annumerat etiam *Reſtim* inter *efficaciſſimas* omnium morborum medicinas: Et Melancholici apud nos plures id remedii nimis ſæpè experiuntur, nunc veris miſeriis ſuis, nunc imaginariis, ſupremam ſic manum adjungentes.

Non inficior multa eſſe doctè conſcripta in *Severino* de efficaci medicinâ, ſed in *Pyrotechniâ* ſuâ *Chirurgicâ*, fatalis illius finis *Ar-*

chagathi

chagathi temerarii aut inſcius, aut immemor, in *Italiâ* literatâ, & juxtà *Romam* non longè diſſitam à *Neapoli*, audaciſſimè pronunciat, cap. 1. *Ignem eſſe Omnipotente virtute præditum; & ad omne morbi genus internum, externum, acutum, diuturnum, ſimplex & compoſitum, eſſe remedium efficaciſſimum:* Et cap. 2. *Ignem eſſe Arcanum omnibus vitiis corporis expugnandis*, vel potiùs corporibus delendis, *maximum.* Undè verò Ignis dicitur *Arcanum* planè neſcio, cùm is adeò perlucet, & cùm *nullus Ignis ſine fumo.* Inſuper affirmat cap. 12. *Ignem omnibus affectionum generibus abolendis ſatisfacere poſſe:* Et cap. 13. eundem *omnibus doloribus eſſe remedio.* Hæc ille, ſive animo perſuaſus, quod videtur veriſimile, ſive etiam morem gerens Sancto Officio, Ignis efficaciæ plurimum faventi, in ſalutem ſcilicet animarum. Sic veteres quidam, ſic plures recentiores poſtquam *Hypotheſin* concinnam fabricârint, vel illi palàm aſſenſerint, omnia argumenta ſolent cogere dilectæ iſti *Hypotheſi* aſtipulari. Sic *Chymici*, Philoſophi per Ignem, & dicti fumivenduli; ſic *Adepti* tandem Chimæras, Igne ſuo perenni; & ſic Empirici, effræni audaciâ perditi, commenta ridicula & imaginaria magnifaciunt immodicè, & arrogantiſſimè venditant. Et ſic ſubdolè *Sal Volatile*, vel Sal frivolum, omnibus morbis utile, multis mulierculis aliiſque ſtolidioribus reddita eſt *Panacæa.*

Sed

Sed quantamcunque reprehenſionem mereri poſſint tàm petulantes támque frequentes *Severini* combuſtiones, tamen leviuſculas illas inuſtiones quarumcunque corporis partium, à *Moxâ*, apud *Orientales*, à lineâ petiâ pyramidali formâ involutâ, apud *Ægyptios*, vel à fungo igniario, noſtris *touchwood*, apud alios accenſo, ad dolores partium excruciantes citiſſimè tollendos, non licet improbare. Quinimò gratias maximas reddamus *Deo Patrique populorum omnium Omnipotenti*, quòd barbaris & ignaris tot nationibus, Medicinâ peritiore deſtitutis, dignatus ſit communicare tàm facilem, támque *efficacem* modum, non modò leniendi, ſed & delendi aut extirpandi dolores ubicunque ſævientes, qui à flatibus turbulentis undique exoriuntur. Quid verò nobis cum crudeliſſimis illis combuſtionibus & quaſi vivicomburiis immiſericordis *Severini?* Nobis, inquam, qui *Moxæ* accenſionem longè tolerabiliorem cauteriis ignitis, & vix ſenſilem, comparatè ad præfata, ferre nequimus; licèt uſus *Moxæ* fuit ſplendidè laudatus, ab Illuſtriſſimi noſtri *Gulielmi Temple*, cùm exemplo proprio, tùm argumentis ornatiſſimis ad perſuadendum accommodatis.

Eſt alius error *Chirurgorum* triſtiſſimus, at communis, cui perpetrando pænè omnes inſtituuntur à Magiſtris ſuis in tyrocinio, & quaſi errori ſpes eſt perexigua illos unquam fore renunciaturos,

nunciaturos, quia perquam repugnat illi corrigendo inexplebilis multorum lucricupido, occulta iſta dominatrix iniquarum undique actionum, per totum terrarum orbem. Etenim quæ Philoſophia tàm pollens, quæ Doctrina tàm perſuaſoria & argumentoſa, quæ Profeſſio tàm ſancta, ut valeat ſectatores à corruptelâ paſſim graſſante incolumes tueri? Itaque quam integritatem perdifficile eſt expectare, à bonis literis ac diſciplinis, ab optimis inſtitutis, aut etiam ab iis qui ſunt populo *à Sacris*, eam meliùs nos ſperabimus à vulgaribus Officinis, ab Artificibus ullis illiberalibus, aut à miniſtris Medicinæ inferioribus, qui Pharmaca, Unguenta, Linimenta, & Emplaſtra conficiunt, eaque in uſum populi inſipientis pro arbitrio ſuo inconſultè ſæpè adhibent.

De *Turundis* jam dico, quarum uſus in *Vulneribus* curandis antiquitùs nimis invaluit; & quanquam illarum incommoda multiplicia æquis inſpectoribus ſatis manifeſtò apparent, & maximè in *Vulneribus Articulorum*, Nervis aut Tendinibus ità conſtantium, tamen frequentiſſimus earum & popularis uſus, contrà omnia argumenta, demonſtrationes, aut experimenta oppoſita, etiamnum videtur nimis invalere. Neque id citrà cauſam contingit, quia ſcil. *curatione Vulnerum ſic protractâ*, Lucrum deindè conflatum, quò vult operarios inflectet, adhibendiſque dilectis illis *Turundis*, curationem procraſtinantibus, gra-

tiam conciliabit, quantumcunque illæ fuerint ſauciatis importunæ, moleſtæ & incommodæ; & claudos nonnunquam reddant.

Quicunque diligenter leget librum clariſſimi *Cæſaris Magati*, de novâ ſuâ, rarâque medicatione *Vulnerum*, aut qui inſpiciet, attentéque expendet *Animadverſiones* Medicas Nobilis Peritique *Ludovici Septalii* in libro ejus 8vo, *Magatum* ſtrenuè defendentis, & *Turundas* improbantis, veritati huic facilè aſſentietur, & in Medicorum illorum præclarorum ſententiam intùs animoque intimo adducetur; ſed ſi ſit *Chirurgus* in hâc urbe opulentiſſimâ Artem exercens, niſi fuerit etiam ſummâ probitate præditus, aut quædam *rara avis in terris*, idem vix ullis rationum momentis, imò vix à tripode dictis inducetur, utilitati ſuæ & emolumentis ità obſiſtere & abrenunciare, commodumque alienum privato ſuo quæſtui mirabiliter anteponere: Vix ac nè vix perſuadebitis, qualicunque verborum gravitate, ut *Chirurgi* vulgares fiant *Philoſophi*, ut mundum hunc, & incantamenta ejus ſuaviſſima negligant & contemnant, ut ad longa urbis intervalla pedes incedere dignentur, cùm egregiis technis inſtructi, curru ſplendidiùs vehi, & enitere poſſint. Attamen in *Noſocomiis* benè ſperare poſſumus, ut citiſſima, tuta & jucunda illa curandi Vulnera & Ulcera ratio, ſine *Turundis* & *Spleniis* infarctis, opportunè valeat; in *Noſocomiis*, inquam, noſtris, & pe-

regrinis,

regrinis, ut & in Caſtris paſſim, ubi nullum accreſcit præmium ex iſtiuſmodi errore, ubi nullo argento queant emungi pauperes ægri, ubi moleſtiæ diuturnioris ſuſtinentia nequit *Chirurgis* ſuis magnam aliquam voluptatem ſubminiſtrare. Et hinc vir bonus probuſque, Dominus *Belloſte*, Chirurgus *Gallicus*, qui in *Noſocomiis* exercitûs *Gallici* rem *Chirurgicam* diu exercuit, non ità pridem *Gallicè* ſcripſit utiliſſimum, honeſtiſſimumque libellum, qui nuncupatur *Noſocomii Chirurgus*, ſed nimis verecundè ità dictus, cùm reverà magno uſui eſſe poſſit Chirurgis univerſis, qui in probitate priſcâ aliquid ponunt, neque nimis abhorrent à Curando citò, tutò, & jucundè. Ille liber jam *Anglicè* redditur, utinam in utilitatem communem in plures alias linguas redderetur; ſed in eo libello autor probus candidè & ardenter interdicit uſum vulgarem *Turundarum* & *Spleniorum* in *Vulneribus* curandis: Et multis exemplis atque argumentis probat diram perniciem conſuetudinis *Turundarum* in illis obtinentis. Et poſſumus æquè ritè improbare eundem *Turundarum* errorem, dicam, an exitium, in permultis *Ulceribus* etiam curandis.

Fortaſsè deſpondebunt, quibus infirmitates & cupiditates humanæ clariùs aut acriùs innoteſcunt, ut totum Sodalitium *Chirurgicum* conſentiat unquam deſerere ſolitum ſuum & fructuoſum negotium, quod illos diu, ſæpéque

&

& quotidiè, imò bis in die, diligenter occupatos tenet, pro *rarâ* illâ *Vulnerum*, *Vlcerum*, aut *Abſceſſuum* detectione, & pro tenui jejunâque laboris exigui mercede; cùm *Turundæ* gratioſæ, & aſtutè applicatæ Curationem neceſſariò producent, & ſanationem procraſtinabunt, pro arbitrio medicantis, per plures menſes, per totum annum, & ampliùs, prout libet bono *Chirurgo*. Et quæ triſtis veritas maniſeſtimè probatur, & confirmatur, uſu *Piſi* vulgari in Fontanellâ. Excidat enim, vel elabatur *Piſum* è *Fontanellâ*, unicâ ſolummodò die, vel fortè ſemidie, citò ſanabitur ulcus, & exareſcet Pure immunis Fontanella; ſed *Piſum* in eâdem permanens incluſum, ſicut *Turunda*, efficiet, ut ſanies generetur, diuque effluat, ad libitum, per plures annos, ſi ità videatur convenire. Sed *Turunda* longè inſalubrior *Piſo*, & profundiùs penetrans in partem vulneratam, aut exulceratam, eſt Piſo multò magis moleſta, & partem conturbat ità repletam & obturatam, doloribus graviſſimis excruciando, & Inflammationem excitando in partibus divexatis per obſtructiones iſtas nocivas.

Veruntamen non inficiamur eſſe proprias quaſdam occaſiones, quibus *Turundæ* poſſint eſſe commodæ & quodammodò neceſſariæ, ut ſpeciatim in profundis *Vulneribus Thoracis*; & ubi ſanguis in ſinum Thoracis effunditur, ut exitum liberum habeat. Similiter

requiri poſſunt in *Empyemate* adaperto, nè vires ægrotantis concidant, à nimio & præpoſtero Puris aut Sanguinis effluxu. Quinetiam prodeſſe poſſunt, primo die quo inciduntur & aperiuntur Vulnera à *Sclopetis* inflicta; cùm *Turunda* illis admota tunc efficiat, ut labia Vulneris dilatata per inciſionem non coaleſcant, & liber exitus ſaniei profluxuræ non intercludatur. Sic etiam in magnis Vulnerum *Hæmorrhagiis*, & præſertim ſi fuerint profunda, *Turundæ* poſſunt in principio commodè adhiberi, quò meliùs Aſtringentia medicamenta pertingant ad orificia vaſorum ſanguinem extillantium. Sed ut primùm ſupprimitur Hæmorrhagia, *Turundæ* ſunt amovendæ aut abjiciendæ, nè *Dolor* ex eis & *Inflammatio* imprudenter excitentur.

Sed Natura ſemper nititur *Turundas* illi permoleſtas, ut res extraneas & præternaturales abigere & expellere, & contrà omnem vim repugnantem *Turundarum*, Spleniorum, comprimentium & deligationum, eas actu ut res infenſas & hoſtiles, nonnunquam expellit. Quod ſi *Pus*, his munimentis aut conſtrictionibus *Chirurgicis* incluſum, cuſtoditum, & ab exitu prohibitum, nequeat foràs erumpere, ut certò deberet, tunc intùs excandeſcit, & tunc vicinas partes, quà data porta, vel quà poteſt, corrodit, novoſque ſinus, atque *Fiſtulas* ſæpè conficit incarceratum; ut & ſolet *Pus* nimis diu detentum in calido *Tumore,*

more, ſtultè neglecto, & non adaperto, cùm aliquamdiu deliteſcens intùs exedit, quòd debuit prorumpere per inciſionem tempeſtivam.

Poſt *Naturæ* ſententiam de *Turundis* exploratam, *Rationem* breviſſimè conſulamus, ut & *Experientiam.* Et ut verbo expediam, inquiratur an ſit *Rationi* conſentaneum, annon fuerit omninò impoſſibile, ut *Unio* partium in Vulnere aut Ulcere disjunctarum obtineatur, quamdiu forte repagulum aut obſtaculum partibus *uniendis* interponatur.

Et quantum ad *Experientiam*, poſſum affirmare, me nonnunquam vidiſſe, vel in *Ulceribus* difficilibus, aut *Tumoribus* aſpectu horridis, *Turundâ* unâ aut alterâ oppletis, inſignem differentiam inter tractationem illorum diuturnam & permoleſtam, cum Turundis *infarctis*, & facilem, ſalutarem, tutamque eorundem medicationem, Turundis illis *abjectis*.

Sed non jam loquor, de abuſu *Turundarum*, tam in *Vulneribus* inflictis inter arma, & bellum gerendum, quàm de iniquo earundem uſu, in *Ulceribus* paſſim contractis, à Contuſionibus, à Tumoribus ſuppuratis, à malo corporis habitu, aut à fortuits pluribus cauſis. Et dico de *Turundis*, non ad Ulcus curandum, ſed ad Curationem perturbandam, impediendam,

dam, & quamdiu placet procraſtinandam adhibitis. Ut de aliis inſtantiis taceam, potui nunc, dum hæc ſcribo, fuſiùs loqui, de Curatione quâdam *Ulceris* fortè admirandâ, & *Turundæ detractæ* plurimùm debitâ. Nimirùm Chirurgus exercitatus *Ulcus* ancillæ præcipuæ in Illuſtriſſimâ Familiâ, unum in metatarſo Pedis dextri, alterumque in plantâ ejuſdem pedis diligenter tractaverat per ſeſquiannum, vel amplius; & ad meliùs mundificandum *Ulcus* illud metatarſi, *Turundam* duorum pollicum longam illi intruſerat vel infarſerat; ſed poſt conatus ſuos benevolos tamdiu irritos, tandem dixit Ancillæ *Amputationem* pedis fore neceſſariam, ad vitam præſervandam à *Gangrænâ* fiente, vel appropinquante. Itaque ea deterrita, & omnibus artubus contremiſcens, me implorabat, ut pedem ſuum inſpicerem. Ego ſtatim abſtuli noxiam iſtam *Turundam*, illamque inſtruxi, ut conficeret *Balſamum* ex Vino rubro & Oleo, leniter incoctis, & *Linimentum Arcæi* Balſamo adjiceret. Illa in ſinum vel foramen *Turundâ* excavatum inſtillabat id *Balſami* tepefactum, à ſummo ad imum, alternis diebus, & pedem fovebat priùs Spiritu Vini calefacto, & linteum raſum *Balſamo* imbutum orificio foraminis applicabat, & tandem tegebat magnam partem metatarſi *Emplaſtro de Minio* in *Diſſert.* 8. deſcripto. Et quibus auxiliis ancilla, intrà tres circiter ſeptimanas, non modò à claudicatione plurimùm immunis, cubiculo potuit obambulare, & foràs

ſine baculo paulíſper progredi in viciniâ; ſed & liberata fuit à Calamitate miſerrimâ *Amputationis* membri tàm utilis & neceſſarii ad benè commodéque vivendum.

Et hæc perſtrinxiſſe coràm doctis nunc ſufficiant, in re quâdam Chirurgicâ maximi momenti, & conſuetudine communi maximè deplorandâ.

Si tempus permitteret, potui pluribus reprehendere morem iſtum quorundam iniquum & temerarium, ferro excindendi *Strumas* & *Scrophulas*, pluresque *Tumores* atque *Excreſcentias* inveteratas, ut & *Scirrhos* obfirmatos, & *Lupias*, cùm tàm interna quàm externa medicamenta tutiùs adhibentur, & ex omiſſis iſtiuſmodi operationibus, maxima diſcrimina ſic declinantur.

Lamentabile eſt contemplari, quot undique affecti ejuſmodi *Tumoribus* aut *Ulceribus*, & præſertim in *articulis*, aut in viciniâ articulorum, ex hâc causâ ſubitò pereunt, temerariis ſcilicet *Chirurgis*, lucri ergò, quidlibet audentibus. Nam licèt aliquandò in partibus corporis carnoſis ſævitia *Inciſionis* & Abſciſionis fortè meliùs ſuccedat, tamen *Articuli* teneri, & dolorem facilè ſentientes, utpotè conſtantes tàm nervis, tendonibus, & ligamentis, quàm cartilaginibus, neque *Turundarum* præternaturalium moleſtam in iis permanſionem

permanſionem vel commorationem, neque *Ferrum* terribile, neque *Corroſiva* quæcunque, neque *Unguenta* quædam oppilantia, ſine maximo incommodo aut diſcrimine ferre queunt. Idem etiam dicendum eſt de Tumoribus *Linguæ*, *Oris*, & *Labiorum*, & vicinis illis vexationibus, ſatis meritò dictis *Noli me tangere*: Qui *Tumores* tractationem aſperam & ſeveram ægerrimè ferunt.

Veritatem illorum quæ dixi de *Articulis* ſive in brachio, ſive in pede, non parùm confirmat ſequens Obſervatio. Etenim ſi Inflammatio tanta, ut *Gangrænam* efficiat & vitam eripiat, poſſit exoriri, à deraſione *Clavorum* pedis incautâ, vel incuriosâ; & nonnunquam ſimilis moleſtiſſima Inflammatio, ab *unguibus* digitorum manûs aut pedis oſcitanter & nimis introrsùm reſecatis, aut caſu dilaceratis, & paulò pòſt exaſperatis ab applicatione noxiorum Unguentorum & Emplaſtrorum, quorum conſtipationem digiti omnes ferre nequeunt, prout amicum levamen *Spiritûs Vini* & *Theriacæ* ſolent ſemper benè accipere: Quanta pericula, & quàm ſæviora mala neceſſariò evenient, à petulante ſtrage tenerarum partium, ad Artem oſtentandam, & ab audaci *Inciſione*, *Uſtione*, aliiſque inſtrumentalibus læſionibus Nervorum & Tendinum, denſo agmine congregatorum tàm propè *Articulos*, & mutuas partium conjunctiones, ad varias flexiones

ritè obeundas, quàm in *extremis* ad Senſum Tactûs meliùs percipiendum?

Priuſquam finiam, velim vos commonefacere, quòd vulgò apud nos percrebeſcant rumores, ac ſi eſſent *Chirurgi*, qui *Ulceribus* nimis citò ad ſanitatem pænè perductis, per propria ac ſalutaria medicamenta, tunc noxia & *Corroſiva* parti teneræ dicuntur adhibere, quæ rursùm eam *inflammabunt*, ſævis doloribus excruciabunt, curationem diu procraſtinabunt, lucrumque majus his veteratoribus eo pacto facient, negotia diuturna ſibi faceſſendo. Bene ſperarem, *rariſſima* eſſe, & nequaquam communia, hæc ſcelera nefaria.

Siquæ ſint in uſu talia facinora, oro meminerint iſti impoſtores, & animis ſuis contemplentur, *Spectrum* illud, quod circiter initium hujus Centuriæ nuper apparuit, & inquietavit Dominum *W*. Chirurgum incolentem propè *Moor-gate Londini*. Illi enim moribundo propè lectum aſtabat quoddam *Spectrum*, adeò ut frequenter exclamaret Chirurgus: *Ecce hominem Pauperem! Ibi nunc ſtat Pauper! En illic eundem Pauperem!* Tandem verò ab aſtantibus interrogatus quiſnam fuerit ille *Pauper*, de quo toties clamabat; reſpondit Chirurgus tunc verax: *Pauper* ille uxorem, quatuorque liberos alebat labore ſuo quoti-

diano;

diano; ſed fortè affectus leviuſculo in tibiâ *ulcere*, curæ meæ concreditus fuit à piâ quâdam & locuplete Dominâ, quæ mihi promiſerat ſeſe voluiſſe impenſam Curationis perſolvere. Verùm ego cupiditate incitatus illud *ulcuſculum*, quod expensâ paucorum *denariorum* potui ſanare, applicationibus *noxiis* ita exaſperabam, ut poſteà eſſet neceſſe crus ſuum ſphacelatum *amputare*, & ex quâ *Amputatione* Pauper ille langueſcens periit. Sed peſſima omnium conſideratio eſt, iſtos veteratores iniquiſſimos nunquam poſſe, nunquam permitti *Criminum* ſuorum *pœnitere*, cùm alii delinquentes, ut voluptuoſi, diſſoluti, & luxurioſi, ſæpè *Gratiâ Pœnitentiæ* pleni moriuntur. Et *Crimina* illorum tantæ támque horribilis Magnitudinis habentur, à *Supremo* noſtro *Æquiſſimoque Judice*, ut pœnæ aliis ſceleribus in hâc vitâ perpetratis fermè inflictæ, non videantur illis puniendis accommodæ, ſed aſſignentur homines tàm inhumani miſerè excruciandi ſeveriſſimis flagris infernarum Furiarum.

Utcunque autem hæc fuerint, tamen ſciant tales impoſtores, copias rerum omnes iſtis modis iniquiſſimis corraſas, promptiſſimè avolare, aut *cariem* ſentire, remque illorum omnem aliam, quomodocunque honeſtè partam, ſic vitiari, & afflatu *venenato* ſolere infici, aut *Cancro* exedenti paulatim devorari; quemadmodùm *fraudes* & *mendacia* ho-

neſtum omne lucrum multorum artificum facilè corrumpunt, conturbatores aut decoctores maximè efficiunt, & verſutos iſtos nebulones, præſtigiis ſuis inſtructiſſimos, ad ſummam *inopiam* ſæpiſſimè redigunt.

DISSERTATIO XIV.

Jun. 8. 1724.

CUM Materia Medica tàm latè patet, támque amplè ſe expandit, quouſque rerum omnium Natura, quas Tellus undiquaque profert, per totum terrarum orbem diſpertitas; cùm tot támque ingentes medicamentorum compoſitiones à veteribus Medicis præclaris deſcribuntur paſſim, colliguntur aut accumulantur, & præſertim à *Nic. Myrepſo*, *Jo. Meſue*, dicto *Evangeliſtâ Pharmacopœorum*, multiſque aliis, uſque ad recentiorem *Weckerum* laborioſum, & tandem *Salmonem* noſtratem Πολυπράγμονα; & cùm tàm difficile ſit, non modò ſtudioſis & junioribus, ſed & peritioribus, magíſque verſatis, ut æquam ſententiam ferant, utrùm *Simplicia*, an *Compoſita* medicamenta ſint uſu plerúmque

& fre-

& frequentiùs anteponenda: Et utrùm naturalia, facilè parabilia, & inartificioſa, an delectus rerum multiplex, farrago quædam promiſcua, à docto aliquo inſtituta, & longa medicamentorum pompa, fortè ad fallendum vel oculos perſtringendos excogitata, electionem noſtram præripere debeant; non inutile videbitur, de horum uſu potiori cùm in Medicinâ, tùm Chirurgiâ, paululùm diſſerere, ſi non detur opportunitas de iis integrè, & pleniùs, & liberiùs determinare.

Certum eſt, *Artem Medicam* & *Chirurgicam*, eſſe omnium aliarum utiliſſimas, toto humano generi, populis bellicis & pacatis, doctis & indoctis; & *Sanitatem* ampliſſimis theſauris eſſe pretioſiorem. Sed non æquè certum eſt, præſentem *Medicum* ſatis Artem ſuam callere; non æquè certum eſt, *Chirurgum* præſentem virum eſſe bonum, peritum, & apparatu ad curandum expeditiſſimo uti. Quippè in Artibus illis eximiis rem geri ſæpiuſculè contingit, ut ſolet in ſortilegiis, ubi pro unâ palmâ jucundâ plures ſortes caſſæ triſtiſſimè trahuntur. Neque unquam ſperandum eſt, comprehenſionem omnium ſtudiis incumbentium parem fore, omnes idem rectè ſentire, nullos tot medicantium viribus ſuis majora fore temerè ſuſcepturos.

Ante *Hippocratem*, qui floruit tempore *Artaxerxis Longimani*, & belli funeſtiſſimi

Peloponneſiaci, Medicina aliqualis nuſquam non fuit ; ſiquidem etiam imperitiſſimæ gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque vulgò noverunt, ut id ſignificavit & oſtendit *Corn. Celſus* in operis ſui præfatione. *Simplicior* tunc temporis fuit *Medicina*, & innocentiſſima, non ita difficilis & ſubtilis, non ſucata & perplexa, ſed benignè aliis ab omnibus pro virili communicata. Et *Simplex* illa *Medicina* etiamnùm manet recepta, apud longè majorem partem generis humani, in *Aſiâ*, *Africâ*, & *Americâ* vitam degentis. In illis regionibus ingentibus, omnium literarum & liberalis eruditionis plerumque nunc ignaris, populi ſeneſcunt, & bonis auſpiciis ſine ſalutari doctorum ope canitiem ſæpiſſimè contrahunt, quin & multi illorum populi, Hyperborei, *Æthiopes*, & Orientales, *Macrobii* dicuntur, aut *Longævi* nuncupantur ; & quò quidem maximè conducit victus illorum ſimplex, & conſtans immunitas à luxu, corruptelâ, & intemperantiâ *Europæâ*. Et licèt beneficia, maximumque commodum, quod apud nos affert reipublicæ, *Doctrina & Sapientia Medica*, nunquam ſatis laudari poſſunt, tamen perpenſis perpendendis, neſcio quo fato nonnunquam dubitatum eſt à doctis ipſis, fortè nimis temerè, an ſimplex inopum barbarorum victus, & abſtinentia illorum communis ab omnibus Inflammatoriis Medicinis & ſpiritibus, & moleſtâ repetitione diverſorum medicamentorum, ven-

triculo

triculo nauſeanti nimis ingratorum, plùs conducat ſaluti recuperandæ, in multis *Febribus Acutis*; an farrago medicamentorum calidorum plus detrimenti & exitii ferat quampluri-mis febricitantibus. In *Variolis*, præcipuâ Inflammatione ſanguinis, mos obtinuit perniciosus meâ memoriâ, ut docti non rarò Medici, ardori illi intenſo novum pabulum ſubderent, & medicamentis excalfacientibus jam exuſtos magis torrerent, ad expulſionem ſcilicet puſtularum ſive adjuvandam ſive præcipitandam; undè copiæ innumeræ denſo agmine irruentes, cutis poros planè obſtruxerunt, ut nullus ex iis exitus fuerit, niſi ichori tenuiſſimo, neque *pus*, mitis caloris ſoboles, inter tantum incendium generari potuerit. Sed nunc, *Deo gratias*, iſte mos abſurdus & inconſideratus à *Medicis* plerúmque derelinquitur, neque ampliùs ferè reſtat, niſi apud ſtolidas nutrices, muliereſque imprudentes, quibus penitùs inhæret *Cardiacorum* inflammantium inſulſa admiratio. Ideóque hæ cauſticæ medicatrices, in ipsâ *Pleuritide*, regioni Cordis ità vicinâ, nequeunt temperare à vino, ſpiritibus, potuque inebrianti ægris indulgendo, quibus citò, certóque illos conficiunt, ac ſi jugulo ferrum adhiberent acuminatum.

Sic rudes & ignari cum doctis & probatis ubique confunduntur, ſic peritis imperiti paſſim commiſcentur. Sed cùm *Solis* lumen & conſolatio omnibus hominibus in toto terra-

rum orbe diſperſis æquè diſtribuitur, & *Providentia Divina* per infinitam ſuam Bonitatem & Miſericordiam in *omnia* ſua Opera, invigilat univerſis, & curam habet ſingularem, ut omnia bonis benè vertant, nequeo imaginari, quomodò tot populis eâdem confraternitate & origine conjunctis, ejuſdem *Supremi Conditoris* & Gubernatoris inſpectioni ſubditis, curæque commiſſis, poſſit deeſſe Bonitas illa Infinita in proſpiciendo *Saluti*, *ſummo* illorum *Bono*, quæ tantam rerum commodarum abundantiam illis undique ſupplevit, pro ſuſtentandâ vitâ communi.

Hippocrates plurimùm favebat *ſimpliciori* medicinæ, herbas undique præſcribens, & Diætæ ſimpliciſſimæ, ut hordeaceis, in morbis Acutis; licèt etiam præcepta *Sapientiſſima* multiplicia *Arti* adjungeret *Medicæ*, quam ipſe pænè fundaverat. Verùm habebatur primus autor, vel conditor *Clinices Medicinæ*, hoc eſt, regiminis Medici, quod febricitantes lectulis ſuis contenti, aut ex morbo decumbentes, obſervare tenebantur; & cujus dogmata ſapientiſſima addiſcent & docebunt *Medici* benè docti, quouſque rerum humanarum ſtatus compoſitus perdurabit, quoniam præcepta ejus admiranda non confinguntur ſpeculatione ſubtili, aut arguto ingenio, ſed ex verâ obſervatione ipſius *Naturæ* accuratiſſimè formantur. Ideóque magnificè nimis dictus eſt Magnus ille Medicinæ Pater à *Ma-*

crobio,

crobio, vir fallere vel-falli neſcius: Quod profectò eſt privilegium pluſquam *Medicum* vel Humanum, pluſquam *Pontificium*, Regium, vel Imperatorium. Quantum excelluit noſter Princeps *Sapientiæ* gloriâ, in omnia ſæcula teſtabuntur Scripta ejus univerſa, & præſertim *Aphoriſmi*, memoriâ ſempiternâ quàm digniſſimi.

Cratevas Hippocrati coætaneus de re herbariâ tàm egregiè ſcripſit, illamque ſcientiam utiliſſimam, à proavo ſuo deductam, ità excoluit, ut in ſummam ejus admirationem ipſum *Hippocratem* tunc raperet. Et quàm accuratè ſcripſerit *Cratevas* in Commentariis ſuis, honorificè meminit *Dioſcorides* in præfatione ſui operis de Materiâ Medicâ. De *Dioſcoride* verò ſententiam ſuam tulit *Galenus*, in libro 6. de Simplicium Medicamentorum facultatibus, ubi dicit, *videri ſibi Dioſcoridem omnium ante ſuam ætatem perfectiſſimè confeciſſe tractatum de Materiâ Medicâ. Nam licèt à ſe majoribus plurima de Herbis, aliiſque benè ſcripta extent, tamen inquit à nemine omnium æquè de omnibus.* Itaque quali calculo notandus eſt *Fallopius*, cùm temerè dicit, an malevolè, quòd in illis libris *Dioſcoridis contineantur multa quæ vana ſunt, pace animæ ſuæ* id murmurans, *æquè ac ſcribi ab eo multa inordinatè.* Hæc ſcilicet culpa eſt nimis frequens plurium doctorum. Sed profectò nemo gloriam ſuam apud

bonos

bonos amplificat, alienam famam iniquè convellendo.

Aſclepiades Pruſienſis, coætaneus *Dioſcoridi*, ut plures conjiciunt, tempore *Pompeii Magni*, & *Magni Ciceronis*, qui eodem anno ortum ſuum habuerunt, qui pariter vitâ multùm floruerunt, pariter morte intempeſtivâ ſunt abrepti; *Aſclepiades*, inquam, tunc *Romam* advenit, ibique maximè inclaruit, propter repertam rationem, quà *Vinum ægris mederetur*.

Et certè apud nos non eſt prorsùs inuſitatum, quoſdam deploratos & à Medicis derelictos, fuiſſe *Vino Canarino* mirè reſtitutos. Sed *Aſclepiades* celebratur à *Plinio*, quaſi *Vino* reſtituiſſet hominem ad funus exportatum, hoc eſt, nimis citò ſepulturæ traditum. Quali miro rumori credulus populus facilè annuebat, utpotè Medico indulgenti, magnaque pollicitanti, libentiſſimè favens. Idem pænè adoratus eſt à Populo *Romano*, quia totam *Artem Medicam*, quantumvis reverà longam, quantumvis amplam & difficilem, gratiſſimè reducebat in quinque auxilia communia, quæ in illorum poteſtate ponerentur: Nimirùm *abſtinentiam* in *cibo* & *potu*, *frictionem* corporis, *ambulationem*, & *geſtationes*. Ille tantus, támque inſignis fuit artifex conſervandæ valetudinis, ut ſponſionem cum fortunâ palàm faceret, nè *Medicus* deinceps haberetur,

beretur, ſi ipſe unquam accideret ægrotare. Itaque omnem ſuam tranſtulit curam ad ipſius victûs rationem, quia putavit errores coctionis & functionum Ventriculi, eſſe cauſam morborum *unicam*, ut ſunt maximè communis cauſa, & arbitratus eſt medicamenta pænè omnia eſſe Ventriculo quodammodò noxia aut moleſta.

Plinius fuit *Simplicium Medicinarum* doctus quidam *Theſaurarius*, atque acerrimus vindex, affectu illarum ſtudioque paulò nimis occupatus. Fuit etiam vir, ſiquis alius, doctiſſimus, infinitæ lectionis & induſtriæ indefeſſæ. *Hiſtoria* ejus *Naturalis* eſt quædam *Bibliotheca*, doctrinæ omnis pleniſſima, & maximâ ac mirabile rerum inſignium varietate repleta. In omnibus veterum ſcriptis, præ aliis viris diligentiſſimis, fuit perpetuò verſatus. Collegit, noctes dieſque, pænè omnia notatu digna, non modò ex *Ariſtotele* & *Theophraſto*, ſed & quæcunque ſunt obſervanda in autoribus quamplurimis, indigenis & peregrinis, qui partim ſuperſunt, partim edaci tempore nunc deperduntur. Sed dolendum eſt, virum tàm præclarè eruditum, acerrimo fuiſſe *præjudicio* ductum, uſque adeò ut contrà *Medicos*, totamque Artem Medicam acerbè excandeſceret, quò meliùs celebraret *Simplices* ſuas *Medicinas*. Verùm doctos multùm decet doctorum culpis invicem ignoſcere: Siquidem *humanum eſt errare*.

Ad

Ad nobile exemplum *Plinii*, in enumerandâ multitudine autorum veterum, quos diligenter conſuluerat, eâque illorum catalogo præponendâ operi literatiſſimo, plures recentiorum ſe conformârunt, insulsè, dicam, an gloriosè, & libris ſuis præpoſuerunt *Indicem*, autorum tàm impertinentium quàm idoneorum: Scilicet pro *Prognoſtico*, vel fauſto omine prodigioſæ doctrinæ librum componentis; neque tàm in uſum candidi lectoris, quàm vanitatem aliqualem ſcribentis demonſtrandam.

Galenus fuit omnium Medicorum, ab *Hippocrate*, vir maximè admirabilis. Quantùm aliis in dicendo, ac Eloquentiæ gloriâ, ut & amore ſuo cariſſimo in Rempublicam, *Cicero* excelluit, tantùm cæteris in Medicinâ videtur hactenùs ſuperior fuiſſe *Galenus*. Nullo unquam ſtudio, vel curâ ſolicitâ ad rem domeſticam augendam ille incubuit, utpotè id probè exploratum habens, ut opinor, nihil rerum humanarum animi tranquillitati adipiſcendæ minùs conducere, quàm magnas & ſuperfluentes divitias, tàm ardenter vulgò deſideratas; ſed veras animi divitias cupidiſſimè conquiſivit, optimiſque diſciplinis percipiendis & excolendis ſe totum dedit, bonaſque omnes ſuas horas eò indefeſsè collocavit. Benè Poeta, veréque licèt abſtruſus, dixit de duobus

Dominis,

Dominis, noſtrum amorem allicientibus, Philoſophiâ & φιλοχρηματία,

Duplici in diverſum ſcinderis hamo,
Hunccine an hunc ſequeris: ſubeas alternus oportet
Ancipiti obſequio Dominos.

Hippocratis doctrinam concisè, & paulò obſcurè, ſed nervosè traditam, perſpicuè expoſuit *Galenus*; & ubertate *Ciceronianâ* illuſtriorem reddidit. Sed quanquam *Galenus* undecim libros de *Simplicium Medicamentorum* facultatibus egregiè ſcripſerit, & ſingulorum vires diligentiſſimè exploraverit, tamen liberum ſe præſtitit ab iniquis præjudiciis; neque ille *Simplicia*, inſtar *Plinii* Secundi, nimis propensè aliis freti, ultrà modum laudavit, ac ſi in *Simplicibus ſolis* vis medendi tota reſtaret, & tot *Specifica* morborum remedia eſſent decantanda, quot *Simplicia* habentur eſſe præſtantiora: Sed prætereà ſcripſit libros decem, de *Compoſitione Medicamentorum* ſecundùm locos, vel ſecundùm ſingulas corporis partes, in uſum *Medicorum*; alioſque ſeptem libros, de *Compoſitione Medicamentorum*, juxtà ſua genera, ad informandum in *Chirurgicis:* Tantâ in his æquitate pollebat *Galenus.*

A veteribus jam tranſeamus ad recentiores, & præteritis nunc Medicis præclaris, qui de

his rebus ſententiam ſuam conſultò tulerunt, duos ſpectatiſſimos proboſque viros, & ſummâ integritate præditos, paulùm auſcultemus. Et certum eſt, plures bonos proboſque viros, tàm arte medendi inſtructos, quàm alios doctos, nunc & olim, *Simplici Medicinæ*, ut utiliori ad Rempublicam, & magis parabili, in uſum populi, præ *Compoſitis*, plurimùm faviſſe.

Illuſtriſſimus *Gulielmus Temple*, politus, elegans, utiliſque ſcriptor, in linguâ noſtrâ copioſiſſimâ, in tractatu ſuo eximio, de *Sanitate & Longævitate*, palmam facilè adjudicat, ſed cum quodam candore, *Simplici Medicinæ:* Miréque idem celebrat prædicatque ſex plantas noſtras indigenas, ut maximi omnium uſûs, & virium præſtantiſſimarum; nimirùm *Salviam*, *Rutam*, *Crocum*, *Hederam terreſtrem*, *Allium*, & *Sambucum:* Et quæ plantæ ſunt reverà multâ laude digniſſimæ; adeò ut Medici periti perlectionem obſervationes ejus valdè mereantur.

Nobiliſſimus *Robertus Boyle*, non meruit majorem laudem, propter *Philoſophiam Naturalem*, à ſe tantoperè excultam, quàm propter voluntatem ſuam benevolam, candidè exhibitam, in libello à ſe ſcripto, *de Remediis Morborum facilè parabilibus.*

Ambo

Ambo ampliſſimis animi dotibus ſunt exornati; ambo ſalutem publicam ſingulari benevolentiâ ſunt proſecuti. Sed alter inſtar *Horatii* jucundè ruſticantis, vel inſtar *Gaſſendi* doctiſſimi, vitam tranquillam ſtudiosè placidéque traducentis, videbatur Sectæ Philoſophorum *Epicureæ* indulgere, & in medio Horti ſui amœniſſimi, ut dicunt, deponi *Cor* poſt obitum Philoſophicè demandabat; alter vero, *integer vitæ, ſceleriſque purus*, vir quidem cœleſtis, & nunquam ſatis laudandus, *Pietatem* admirabilem, ſummam vitæ ſanctimoniam, operaque bona diuturna, fructus *Pietatis* perennes, *Philoſophiæ* ſuæ conjungebat.

Quantumcunque verò *Simplicia* ab his & illis laudentur, & laudem ac admirationem noſtram benè mereantur, tamen neceſſitas quædam, æquè ac congruitas rei & convenientia requirit, ut medicamenta *Compoſitionem* quandam ſubeant. Symptomata morbi diverſa ſimul urgentia, complicationes morborum diu fatuéque ſpretorum, intentiones & indicationes curandi variæ, origo morborum frequentiſſima à luxu, & multiplex variatio affectuum & ſymptomatum, metaſtaſis humorum ſubita, & partium corporis affectarum diverſa ratio, denique difficilis, anceps, & delicata, dignaque magnâ deliberatione, multâque diſquiſitione, accommodatio medicamenti particulari temperiei, & idioſyncra-

ſiæ ægrotantis, ſæpè requirunt, ut medicamenta *Componantur.* Idemque confirmat, quod non minimi eſt apud me ponderis, *autoritas* pænè omnium ſæculorum, & *Medicorum* tot gravium, doctiſſimorum & præclariſſimorum.

His addere libet, *Medicos* veteres præclaros Humanæ fragilitati, perindè ac alios, fuiſſe obnoxios, & inductos præſertim, ut *Compoſitionibus* totidem tantiſque ità faverent, eaſque in promptu conſervarent, quoniam illi ſibi ipſis erant Pharmacopœi, & domi ſuæ alebant miniſtros, qui *Medicamenta Componerent*, præſtò & promptè habenda, in uſum populi præſentem; & fortè quia miſera plebecula ferè ſolet cognita & facilè parabilia nimis contemnere, *Arcana* verò, minúſque intellecta *admirari* & ſuſpicere.

Veruntamen rationi conſentaneum videtur, neque ab Experientiâ alienum: Quò *Simplicior* fuerit medicamenti *Compoſitio*, eò certiorem ſui effectûs notitiam, ac comprehenſionem *Simplicis*, cui maximè debetur beneficium, nos habituros. Quippè Ventriculis noſtris (quorum tunica vel membrana interior eſt prorsùs nervoſa, ideóque maximè ſenſibilis errorum omnium admiſſorum in cibo & potu) *Simplicior victus* præſertim convenit, utpotè gratior parti tàm teneræ, minúſque eam offendens, imò & ſummè conducens ad *Digeſtionem* perficiendam, morbos prævenien-

dos,

dos, & vitam producendam. Vix credibile eſt, quanta hominum turba, vel in his regionibus politis, benéque inſtitutis, quotannis pereant intempeſtivè, nimirùm ut jucundâ compotatorum conſuetudine, ad breviſſimum vitæ terminum, commodè perfruantur. Atverò hæc non obſtant, quò nonnunquam ipſis ſobriis *Genio* modicè indulgere liceat. Quod nî ità ſe haberet, majores noſtri Sapientes *Statuta* nobis non inſtituiſſent de *Conviviis* concelebrandis, ut amor mutuus cum Salute unà aleretur. Hæc autem benigna Diætæ indulgentia ſæpiùs tutiúſque permitti poteſt *junioribus* lætæ indolis, & ſecundâ valetudine fruentibus; quibus ventriculi fortes, appetitus validus, & coctio ciborum facilis. Sed in *ſenibus* & valetudinariis, quorum ventriculi ſunt debiliores, & illuvie humorum pituitoſorum fermè repleti, quibus calor imbecillus, & coctio difficilis, cavendum eſt maximè, nè ventriculus onere ciborum heterogeneorum permoleſto prægravetur, neque potu ingrato, aut *Vino adulterato* perturbetur. Et ſic in farragine immodicâ medicamentorum *Compoſitorum*, qualiſcunque illorum fuerit *autoritas*, videtur ratio eſſe habenda cujuſdam anxietudinis, nè farrago iſta multiplex, ſæpè incondita aut inconcinna, ventriculos ægrotantium debiles conturbet, & tumultum humorum in *Febribus* exortum, augeat & extimulet. Certè *Temperantia* maximè conducit ſanitati conſervandæ, & certè *modus* quidam

camentorum, ac Temperantia, & *Nequid nimis*, conveniet eidem infirmæ ac vacillanti reſtituendæ. Politicum haberi poteſt, & quæſtui ſpeciali multùm conducere, tàm *Medicorum* quàm *Cauſidicorum*, prælongas formulas præſcribere, compoſitiones Medicamentorum prægrandes excogitare, & chartas vel membranas nimis prolixas exarare. Quippè Compoſitiones operoſæ, reſque factu difficiles, neceſſariò egent ſolerti manu periti *Pharmacopœi*, ſed Simpliciores facilè conficiuntur à bonis, frugalibus, & miſericordibus mulieribus. Atverò magis probum videtur, communi ſaluti potiùs conſulere, quàm quæſtu quovis duci; digniuſque videtur diſciplinis liberalibus, omnem proſcribere dolum, technamque iniquam, ubi res hominum agitur ſumma, ut *vitæ* humanæ tutela, & cura ægritudinum miſerabilium fidei noſtræ concreditarum.

Sanè magnum eſt, & ſuprà vires noſtras, rigidè determinare, quouſque *Compoſitio* medicamenti poſſit tutò produci; ſiquidem id permitti debet prudentiæ & integritati *Medicorum* doctorum, ſimul atque peritorum, modò procul exulet dolus, aſtutia, vanitas, & oſtentatio. Axioma illud dignum eſt tàm *Medico*, quàm Philoſopho: *Non debet fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora.* Neque demùm inſipiens videtur, aut à vero aberrare, quicunque ſentit & affirmat, *Compoſita eſſe hominum* impotentium, mutabilium, & omnia

nia præter ſe, ut illis videtur, acutiſſimè perſpicientium, *Simplicia* verò *Dei* Omnipotentis, ab orbe condito *Medicinas.*

Attamen minimè expectandum eſt, ut *Simplices Curationes*, vel *Simplicia medicamenta*, quantumcunque ſuccedere poſſint, ad Praxin revocentur, aut in conſuetudinem vulgarem his in locis unquam abeant, quia tales Curationes *quæſtui* multorum hominum maximè repugnant. Et licet notitia ejuſmodi Curationum contingeret incidere in aliorum, & præſertim Empiricorum contrectationem, perpetuò aut utplurimùm ab illis improbantur, ab his convertuntur in *Arcana* quæſtuoſa, diuturnâ obſcuritate contegenda. Exemplum utriuſque non prorsùs diſſimile perſtringam coràm vobis, quos ab actionibus omnibus turpibus alienos, & ab omni conſilio iniquo maximè abhorrere humaniter cenſendum eſt.

Inoculatio illa *Variolarum*, Simplex æquè ac tuta, jamque Eminentiſſimè apud nos aliquoties periclitata, ſi periculoſum dici poſſit, ubi nullum omninò fuerit periculum, & ex quâ neminem apud ipſos barbaros Inoculatum periiſſe ſatis conſtat, niſi fortè quis demens frigus adverſum contrahat, interim foràs prodeundo, non videtur adhuc ſatis increbreſcere, propter rationes occultas, vel nunc conticendas. Alterum Exemplum ſit *ruſticum*, potiùs quàm *Medicum.* Amicus mihi ſingularis, virque Doctiſſimus, poſtquam animadver-

terat *Curculionem*, vel *Gurgulionem*, vermem quendam, æſtu apud nos inuſitato exortum, Angl. *a Weevil*, in magnam copiam frumenti ſui irrepſiſſe, ad exedendum triticum; & poſtquam expertus fuerat foliorum *Parietariæ* manipulos aliquot acervis interſperſos mirum in modum & citiſſimè vermes iſtos omnes ejeciſſe & fugâſſe à frumento, quod quidem beneficium didicerat à *Varrone* de re ruſticâ: Voluit vir inſignis, virque non modò æqualis *Varroni*, ſed & ſuperior, ſiquis alius, in doctrinâ; id inquam voluit agricolæ ad parochiam ſuam pertinenti quamprimùm impertire, ſub eâ conditione ut ille vicinis ſuis idem ſtatim communicaret. Sed ſilentium ſibi indixit bonus ille agricola. Paulò pòſt id celatum comperiens, alteri alterique agricolæ ejuſdem pagi idem communicavit, eâdemque ſub conditione ut vicinos omnes ſuos de eâ re certiores redderent. Sed omnes ſilentium altum agebant, nullo ſuſurro de Peſte iſtâ tollendâ à proximis exaudito. Nimirùm omnes ſperabant nundinationem tritici proprii, ſic redditi incorrupti, fore, eo pacto, tritico alieno lucroſiorem, alieno permanenti viliori propter Cariem contractam.

Statuebam etiam de *Topicis Chirurgicis* jam paulò diſſerere. Sed ruens hora non permittit, ut de iis nunc fusè loquar. Solummodò proponam, judicio veſtro ſagaciori, an *Compoſitiones* magis elaboratæ videantur præ-

ſtare,

ſtare, in re *Chirurgicâ*, illis *Simplicioribus*: nimirùm *Balſamo Samaritano*, h. e. vino oleo leniter incocto, *Terebinthinæ* ſolæ adhibitæ, Linimento *Arcæi*, Digeſtivo communi, aut *Terebinthinæ* cum vitello ovi, *Tetrapharmaco* veterum, Mundificativo *Paracelſi*, ex melle, & Terebinthinâ, cum vitello ovi, aliiſque ejuſmodi; annon, ut *Ilias* olim in putamine nucis incluſa, ita in præfatis πλεῖστον ἐν ὀλίγῳ, permultum in parvo ſimpliciter contineatur.

Volui Lectorem admonere, quòd in animo habeam, duas alias hujuſmodi Diſſertationes prioribus brevi adjicere; de morbis ſcilicet difficilibus aut moleſtis, nimiſque paſſim graſſantibus. Altera eſt de *Strumis* & Scrophulis; altera de Herpete, Impetigine, & Leprâ *Græcorum*.

INDEX CONTENTORUM.

In Diſſertatione I. *De Febribus*, &c.

LAUS *Medicinæ* tempeſtivè adhibitæ. Pag. 2
Veterum Medicorum verecundia in *Prognoſticis*. 4
Mitis reprehenſio Prognoſtici temerarii in recentiori. *ibid.*
Quo tempore *Febres* Curationem certiorem admittunt. 5
In principio *Febrium* quid ferè agendum. 7, 8
Error fatalis *Chymiſtarum* in non diſtinguendâ tempeſtate propriâ *Emetica Antimonialia* exhibendi. 9
In quibus caſibus veteres *Vomitum* mitiſſimè ciebant. 10
De *Venæſectione* in Febribus cautela ſummè notanda. 11
De *Medicamentis* propriis & impropriis, 12. Et ſpeciatim de *Teſtaceis*, 14. Quando *Cardiaca* conducunt. 16
De primâ origine Febricitantes *Epiſpaſticis* pluribus ultrà ſolitum obliniendi, *ibid.* Sagax contemplatio, digna illorum reminiſcentiâ qui ad rem augendam ſunt nimis attenti. 17
Quid videtur utilius in *Declinatione Febrium*. 19
Sedes Febrium Intermittentium Ventriculus, 20. De *Corticis* uſu in utroque Sexu, 23. De *anomalis* Intermittentium ſymptomatis, & cautio illis maximè neceſſaria, qui talibus ſymptomatis ſunt obnoxii, in Paroxyſmis. *ibid.*
Tutiſſimus, *novuſque* modus *Febres Intermittentes* profligandi ſine *Cortice*, 24. Ratio diſtinguendi pulverem *Gaſconicum* verum & Bezoardicum, a ſpurio, 25. Utilis ventriculi fotus ad Paroxyſmos expugnandos, 26. Cautio ſummè neceſſaria ad Curandas Intermittentes ſine *Cortice*, *ibid.* & 27

In

In Postscripto.

Narratio breviuſcula Libri Anglici, qui docet *Febres* omnes poſſe Curari *Aquâ Communi* opportunè adminiſtratâ. 28
Deſcribitur quantum hodiè periculi impendere ægris poſſit, à falſâ & venenatâ illis ſuppoſitâ, pro verâ & tutâ *Epicacuannâ*, 30. Modus utramque integram diſtinguendi. 31

In Dissert. II. *De Variolis* 1ma.

Variolarum diſcrimina omninò pendere ab *Erroribus* popularibus, 34
Cereviſiam tenuem vix tutò permitti hoc morbo correptis, 36
Vinum Benedictum temerè & imprudenter in principio *Variolarum* exhiberi, 38
Quando *Emetica* indicantur, 40. Emetica ad Variolas permulcendas ſint leniſſima, *ibid. Venæſectio* qualis nonnunquam conveniet, 42. Cautiones neceſſariæ in *Narcoticis* uſurpandis. 43. Ubi *Narcotica* ſunt adverſa, quænam poſſint requiem tutò conciliare, 44. Quænam exhibenda in *ultimo* Variolarum ſtatu, 45. De *Veſicatoriis* tunc adhiberi ſolitis, 47. Exemplum ſymptomatis periculoſiſſimi, ſub finem *Variolarum* exorti, & feliciter curati, 48.
Quid in Morbillis *Tuſſim* maximè lenire poſſit, 49.
Quod vehementia *Tuſſis*, & *Febris*, in Morbillis, ſolummodò pendere ſolet, à regimine calido, perperàm uſitato. *ibid.*

In Dissert. III. *De Variolis* 2da.

Occaſio reſumendi ſermonem de *Variolis*, 51.
Quibus *Cauſis* referri poſſit *Variolarum* nuperarum tanta *pernicies*, 52.
Eam non eſſe tribuendam *Naturæ* inclementiæ, 53.
Variolas eſſe *Inflammationem univerſalem* totius corporis, 54. Quam fatalia ſint Cardiaca calida in *Particulari* Inflammatione; & multò magis in *Univerſali*, 55.
Comparatio *Variolarum* cum puero pubeſcenti, & in pejus ruituro, 56.
Dominarum Præjudicia pro *Cardiacis* ſuis pernicioſis inveterata & inſuperabilia, 58. Ex *Erroribus* communibus prodire ſolere *Variolas* tot *Confluentes*, 60. Aliaſque *Diſtinctas* deteriores, *ibid.*
Infantibus anniculis eodem modo poſſe comparari *Variolas* pernicioſiſſimas, 61.

Variolas fuiſſe incognitas *Indis* Occidentalibus ante introitum luxûs *Europæi*, *ibid.*

Unicus jam reliquus modus præveniendi *Variolas deteriores*, 62.

Barbararum gentium quædam Congratulatio, 63.

In Dissert. IV. *De Aquâ*, &c.

Contemplatio Abundantiæ univerſalis ad vitam hominum ſuſtentandam neceſſariæ, 65. De *Pipere Nigro* quàm ſaluberrimo inſignis Obſervatio *Ætii*, 67. Longævitatem Patriarcharum *Aquæ* potui multùm deberi, *ibid.* ut & recentiorem *Parri* noſtratis, *ibid.*

Aqua *Thameſis* aliis fluviis meritò prælata, 69. Et Aqua *Sequanæ* immeritò damnatur à Cl. *Liſtero*, ut Calculi cauſa *Pariſienſibus*, 70. Aqua *Gangis* videtur omnibus anteponenda, *ibid.* *Aqua* manè pota, magnum à Calculo Præſervatitivum, 71.

Quantæ olim Curationes ab *Attenuante* Diætâ? 72.

Acetum Scilliticum eò maximè laudatur à *Pythagorâ* & *Galeno*, 73.

Pro *Aquæ Frigidæ* matutino potu *Hiſtoria* ſummè memorabilis, 74.

Autoris conſuetudo, & ſubſequens Exercitium proponitur, 76.

Error incongruus *Hydropotarum*, 77.

De *Aquæ Frigidæ* potu in *Febribus*, 78. In principio illarum multò tutiùs, quàm in Statu, exhibetur, 80. In *Variolis* incipientibus non ità metuendam, ut medicamenta calefacientia, *ibid.*

Quam periculoſum ſit æſtuantibus *Aquam Frigidam* pleniùs haurire, 81. Et quàm ſalutare nonnullis *Indis* bibere Aquam tepefactam, *ibid.*

In Dissert. V. *De Vino*, &c.

Reprehenſio Medici docti *Principes Medicinæ* acerbiſſimè vilificantis, 84.

De differentiis *Vinorum*, 85. Adulteratiò Vinorum miſerrima, 86.

Vini debitæ laudes, & vires inſignes ,88.

Apoſtrophe ad *Temperantiam*, 89.

Quantam nominis Celebritatem obtinuit *Aſclepiades*, eò quod populum, cum *Vino* tempeſtivè exhibito, à morbis ſuis voluerit liberare, 90.

Facultates *Vini* juxtà *Paulum Æginetam*, 92.

Improbatio *Lactis Aſinini*, impropriè, aut nimis ſæpè præſcripti, *ibid.*
Mauritius Tirellus collationem facit, inter *Vinum* & *Lac*, & palmam facilè adjudicat *Vini* facultatibus, ad ipſas *Hecticas* curandas, 93.
Quod plures Emaciati *Vino* quàm *Lacte* reſtitui videantur, 94.
Vini, & *Spiritûs Vini*, extrà adhibiti, facultas *Refrigerans* veteres Medicos latuit, præter *Plinium Secundum*, 96. Sed alii egregii uſus *Vini*, extrinſecùs foti, illos minimè latuerunt, *ibid.*
Quantæ Curationes partibus variè *Ambuſtis*, *Oculiſque* ipſis contigerunt, à fotu debito cum *Spiritu Vini*, 97. Aliis etiam uſibus maxime inſervire *Vini* fotum, 98 Quo ſucceſſu *Turcæ* ſolent uti *Vini* infuſo, *ibid.* *Balſamum* vulgare, & admirabile commendatur, *ibid.*
Fotus cum *Spiritu Vini* laudatur adversùs *Eryſipelata*, & contrà *Epiſpaſtica* Gangrænam minitantia, contra *Vulnera* & *Ulcera* dolorifica, & denique contra *Panaritia* periculoſiora, 99.
Sed vix ſperandum eſt, tam *faciles* Curationes invalere poſſe, utpotè planè contrarias *Lucricupidini*, *ibid.*

In Dissert. VI. *De Venæſectione* 1ma.

Inimici *Venæſectionis* veteres & recentes ſunt maximè culpandi, 102. *Eraſiſtratus* imprimis, *ibid.* Et nuper *Helmontius*, 103. Quo conſilio maleſuado hic ductus noluit unquam Venam ſecare, nè in *Pleuritide*, 103. Quâ phantaſticâ imaginatione inducti *Chinenſes* nolunt etiam ex quâcunque occaſione Venam incidere, 104.
Phlebotomia facillima operationum *Chirurgicarum*, & difficillima, 105.
Quapropter Chirurgi plures in *ſiniſtro* brachio venam aperire declinant, 107.
In mulierum morbis ſemper *Menſium* ratio habenda eſt, ut Vena propria incidatur, 108. Ut phlebotomia fiat gratior, inſtrumentum ſit acutiſſimum, 108. Cautio quædam requiſita, inter venam ſecandam, 109.
Quantitas ſanguinis emittendi juxta varias regiones variè dimetienda eſt, 110.
Quantum ferè detrahitur in *Angliâ*, 111. In *Luſitaniâ* & *Hiſpaniâ* quoties repeti ſolet, *ibid.* Quantum in *Galliâ*, *ibid.*
Quantulum vulgò apud *Batavos*, 112. In *Germaniâ* paulò liberaliùs, 113.
In *Italiâ* quàm prudenter, 113.

In Dissert. VII. *De Venæſectione* 2[da].

Quàm admirabile ſit, neminem gravioribus morbis corripi ſolere, ſine *Signis* aut *Præſagiis* morbum adventantem ſignificantibus, 115.

Quàm infœlix ſit contemnere *Venæſectionem* indicantia, 116, 117.

De *Signis* quæ morbos præcedunt, *Epiſtola Dioclis* rationem noſtram prudentiorem maximè meretur, 118.

Vicem *Venæſectionis* poſſunt aliquando aliæ Evacuationes commodè præſtare, & pro neglectu ejus compenſare, 119.

Venæſectionem Febribus Inflammatoriis noſtris curandis ſummè conducere, 120. De his optimè omnium ſcripſiſſe videtur *Sydenhamus*, 120. Qualem ſuam Gratiam conceſſit autori, 121.

In *Pleuritide* Venæſectio quàm neceſſaria, *ibid.* Item duo alia auxilia, 122.

In *Eryſipelate* etiam idonea, 123. Et *Fotus* præſtantiſſimus, *ibid.* Ut & idem *Fotus* in *Colicâ Hyſtericâ* deploratâ, 124.

In *Anginâ* plurimùm valet, 125. cum aliis auxiliis, *ibid.*

In *Febribus Continuis* non eſt temerè prætereunda, 126. Verùm in illis *Doloris* expertibus magna cautio adhibenda eſt, *ibid.*

Perſtringuntur alii morbi, quibus expedit *Venæſectio*, 127.

In *Phlegmonibus* quanto ſit uſui, ad Suppurationem præveniendam. Votum vel Suſpirium pro incremento *Probitatis*, 128.

In Dissert. VIII. *De Varice & Aneuriſmate.*

Ut Cauſa *Varicum* meliùs perſpiciatur, conſiderandæ ſunt Valvulæ, & Tunicæ Venarum, 130.

Mira quædam *obſervatio*, imbris cujuſdam, vel nebulæ ſanguineæ per latera Arteriarum in muſculos vibratæ & inſperſæ, inter Sanguinis motum, 131. De Anaſtomoſe Arteriarum cum Venis, 133. Et de Valvulis Venarum, earum uſu & ſitu, 134.

Vulgaris curatio *Varicis* improbatur, 136. Eaque veritas confirmatur ab *Hippocrate*, 137. Item *Deligationum* uſus in *Varicibus* curandis valdè ſuſpicioſus, *ibid.*

Ætii laudatio digniſſima, 138.

Nova *Varicis* curatio, ab autore, 139.

De

De ſucco radicis *Brioniæ* albæ, *ibid.*
Emplaſtrum Diaſulphuris *Rulandi* laudatur, 140. ut & Emplaſtrum *Diaſulphuris* in noſtrâ Pharmacopœiâ recèns deſcriptum, *ibid.*
Emplaſtri utilioris de *Minio* deſcriptio, 141.
Aneuriſmatis atrox extirpatio vituperatur, *ibid.*
Exemplum dirum hujuſmodi Inhumanitatis exponitur, 142.

In Dissert. IX. *De Oedemate & Scirrho.*

Omnes Tumores ab *Hippocrate* nuncupari *Oedemata*, 146. Quid ſit *Oedema*, *ibid.* Quomodo generatur, 148. Diæta *Oedemate* affectorum, 149. Qualis catharſis illis convenit, 150. Obſervatio non minimi ducenda, in uſu *Mercurii dulcis*, ibid. *Sculteti* curatio Tumorum Oedematoſorum, 152.
Autoris Curatio non vulgaris ſolis naturam *Corroborantibus*, 153.
Solius *Scirrhi* ſenſibilis Curatio aggredienda eſt, *ibid.*
Veterum Medicorum reprehenſio *Scirrhos* per impropria procreantium, 154.
Galeni curatio Scirrhi Eryſipelatodis in *Cercyllii* filio, 155.
Quomodo *Scirrhus* rectiùs curatur, 156. Defenſio usûs *Mercurii dulcis*, *ibid.* & 158. Topicorum optimum, 157.
De *Verrucis* obiter, & *Clavis Pedum*, 160.
Et obiter de Fœtore Pedum perodioſo, 161.

In Dissert. X. *De Cancro.*

Quod Ulcuſcula Oris, & partium vicinarum, ſæpè in *Cancros* degenerent, impropriis & *Corroſivis* applicationibus, 163. Et quàm facilè eadem curentur, 164. De *Cancro* incipienti in labio inferiori, *ibid.*
Exciſio Cancri Linguæ quàm fatalis, 165.
Ortus *Cancri* ſæpiſſimè à *Flatu*, 166. Et illinitione Carminativâ nonnunquam diſſipatus, 168.
Chirurgus interfectus levi *guſtu* liquoris venenati in veſiculâ *Cancri* exciſi, qui continebatur, 168. Et ſimiliter Medicus ex *Odore* alterius, 169.
Cancri ſymptomata deſcribuntur, & explicantur, *ibid.*
De Cancro *non exulcerato*, 172. *Celſi* conſilium de *Carcinomatis* curatione, ſanum & prudens, 173. *Galeni* etiam conſilium prudens, *ibid.*

Ampu-

Amputationes Cancrorum evitandæ, 174. Curatio *Cancri* innocua, & ſine *Amputatione* peracta, 175, *Fotus* aliaque laudantur, 176. *Emplaſtrum* optimum Cancris adhibendum, 177. *Acris cenſura* audaciſſimorum Empiricorum, 176.

In Dissert. XI. *De Gangrænâ & Sphacelo.*

Gangræna & *Sphacelus* quomodo differunt, 181.
Communior *Gangræna* eſt, quæ ab *Inflammatione* procreatur, 182. Quâ ratione extinguitur calor nativus à calore immodico, 183. Quamplurimas Inflammationes *Gangrænam* comparare, 184.
Ad Inflammationes compeſcendas *Nitrum* aliis præfertur, 185.
Quomodo contigit, ut *Galliæ Rex* ille *Magnus Gangrænâ* conficeretur, 186.
Quæ ſymptomata *Gangrænam* ex *Inflammatione* concomitantur, 187.
Gangræna ex *Cauſis Venenatis* deplorata eſt, 188.
Gangræna ex *gelu*, & frigore intenſo quomodo curanda, *ibid.*
Exemplum Nobilis, cui Tibia *Amputationi* adjudicaretur, propter *Gangrænam*, & ex pauperculæ conſilio reſtituti, per immerſionem Pedis in *Aquâ Frigidâ*, 189.
Inflammationes in *pedibus manibuſque* ad *Gangrænam* tendentes quomodo citiſſimè compeſcantur, & curentur, 191.
Eodem modo *Ulcera* & *Vulnera Inflammata* reſtitui poſſunt, *ibid.*
Et ſic Dolores graviſſimi ab *Epiſpaſticis* adhibitis facilè profligantur, 192.
Conſilium *Galeni* in curandis *Gangrænis* pænè omnes Medici & Chirurgi deinceps ſunt ſecuti, 193.
De *Topicis* propriis & impropriis, 194.

In Dissert. XII. *De Herniis.*

Nunquam magis comparuit tanta *Herniarum* multitudo, ut illo tempore quo Prior Cœnobii *Cabrienſis* in Aulam *Gallicam* accerſeretur, 195.
Quæ potiſſimùm vitanda ab *Hernioſis*, 196.
Peritonæi deſcriptio, 197. Duo ſolummodo Foramina nunc in eo reperiri, *ibid.* Membranam Peritonæi nunc etiam non eſſe Duplicem, *ibid.*
Herniarum differentiæ, 199. Inguinales puerorum Deligatione

tione commoda ſæpe curantur, *ibid.*
Operatio Chirurgica ad *Bubonocelen* deſcribitur, 200. Quæritur an tanti interſit tentare vivere? 200.
Compellatio boni Medici *Congratulans Morti* appropinquanti, 204.
Sententia *Valeſci de Tarenta*, de operatione *Bubonocelis*, 205.
Hernia *Umbilicalis* an fiat dilatato, an rupto Peritonæo, 206.
Minores Herniæ Umbilicales ſine *Faſciis* facilè adjuvantur, 207. Quænam illis vitanda, 209.

In DISSERT. XIII. *De Erroribus Chirurgorum.*

Errores hominum manifeſtos, & periculoſos reprehenſionem benè mereri, 210.
Medicinam in *Græciâ* potiſſimùm excultam, 211.
Effrænem Chirurgorum audaciam meritò vituperandam, 212.
Laudatur humanitas *Guidonis Cauliaci*, Amputationes improbantis, 213.
De abuſu *Terebrationis* Cranii, 214.
Archagathi infœlicitas calamitoſa propter immanem ſuam feritatem inter Vulnera curanda, 215, 216.
Cenſura quædam Pyrotechniæ Chirurgicæ *M. Aurelii Severini*, 217.
Uſûs *Moxæ* peregre communis debita Admiratio, 218.
Contra iniquum *Turundarum* uſum, 219. Maximè celebrantur *Magatus* & *Septalius*, ut uſui *Turundarum* noxio adverſarii, 220. Celebratur etiam vir bonus, Dominus *Belloſte*, Chirurgus *Gallicus*, propter librum honeſtum à ſe ſcriptum, qui nuncupatur, *Noſocomii Chirurgus*, 221.
In quibus caſibus *Turundæ* poſſint in uſum paulò duci, 222.
Sed nocumenta illarum ſunt extimeſcenda, 223.
Tumorum plurium *Exciſiones* etiam damnantur, 226.
Mala Praxis nonnullis vulgò attributa, 228.
Narratio *Spectri* dehortans ab iſtâ *Malâ Praxi*, 228.
Probitatem rem Artificum plerúmque augere; fraudes & mendacia ſolere omnia corrumpere, & in ſummam miſeriam illos deturbare. 229.

In DISSERT. XIV. *De Simplicibus & Compoſitis Medicamentis.*

De Materiæ Medicæ perplexâ ubertate, 230.
Medicinam primò *Simplicem* invaluiſſe, 232.
Providentiam Divinam univerſorum hominum Saluti invigilare, 234.

Hippo-

Hippocratem faviſſe Simpliciori Medicinæ, 234.
De *Crateva* & *Dioſcoride*, 235.
Aſclepiades inclaruit propter Inventum ſuum *Vino* ægris medendi, 236.
Plinius præ multis jure celebratur, 237.
Galenus incomparabilis quâ pollebat æquitate in judicio ſuo de Medicamentis, 238.
De illuſtriſſimo *Gulielmo Temple*, 240.
De Nobiliſſimo *Reberto Boyle*, *ibid.*
Etſi *Simplicia* ſuam laudem benè mereantur, tamen multa evincunt neceſſitatem quandam *Compoſita* introducendi, 241. Quâ ratione videntur fuiſſe introducta, 242.
Quò *Simplicior Compoſitio*, eò plerúmque melior, 242.
Compoſita eſſe hominum, Simplicia Dei Medicinas, 244.
Exempla quibus probatur *Simplices Curationes* vix unquam poſſe prædominium obtinere, 245.
Simpliciores *Compoſitiones Chirurgicas* eſſe longè utiliores & præſtantiores, 247.

FINIS.